




MGD
113
119
C29
R

Oronce Finé editeur des deux petits traites contenus dans le volume étoit natif de Briancon. il avoit fait ses etudes dans l'université de paris et en avoit eté recteur. il se fit par la suite recevoir bachelier en la faculté de medecine de paris, après quoy il se livra tout entier à l'étude des matthematiques. il étoit ingenieur dans l'armée de françois 1er à la bataille de pavie, ou il fut pris avec le Roy auquel il resta constament attaché. lorsque de retour en france françois 1er eut fondé le college Royal, il donna a oronce finé une chaire de matthematiques dans le nouveau licée

De his quę mundo mirabiliter eveniunt: vbi de sensuum erroribus, & potentijs animę, ac de influentijs cælorum, F. Claudij Cælestini opusculum.

De mirabili potestate artis et naturae, vbi de philosophorum lapide, F. Rogerij Bachonis Anglici, libellus.


Hæc duo gratissima, & non aspernanda opuscula, Orontius F. Delph. Regius Mathematicus, diligenter recognoscebat, & in suam redigebat harmoniam, Lutetiæ Parisiorum.



Apud Simonem Colinæum.
1542.

Orontius Fineus delphinas, regius mathematicarum interpres: Reuerendo ac erudito Patri, Domino Ioanni ab Hangesto, Nouiodunensi episcopo digniss.

S. P. D.



NCIDERAT ALIquãdo in manus nostras, humanissime atq; doctissime Presul, libellus quidã Fratris Claudij Cælestini, cui titulus erat, de ijs quæ Mundo sæpius euenire solent, & miracula iudicãtur ab hominibus, ac de cælorum influẽtijs. Alium rursum paulopost adsequuti sumus libellũm, inscriptum de mirabili artis & naturæ potestate, autore Fratre Rogerio Bachone Franciscano, priori libello admodum conuenientẽ. Nam Cælestinus ipse, tam eorum quæ ab ipsa rerum natura, & potentijs fieri dicuntur animæ, ac sensus transcendere & sæpius illudere videntur

humanos, quàm eorum quæ à Cælorum pendere censentur influxu, causas subtiliter admodùm reddere conatur: Franciscanus autem, eorum quæ ab arte naturam imitante proficiscuntur, & secretiora sunt, ac ipsi vulgo stupenda videntur, breuissimo perstringit compendiolo, vbi etiam περὶ χυμείας, obiter & ænigmaticè (vt solent illius artis autores) paucula tractat. Quæ quidem omnia, mirabilem ipsius naturæ & artis videntur exprimere potestatem: & cum earum propter rerũ quæ in ipsis libellis tractantur dignitatem, tum ob succinctam & facilem vtriusque autoris traditionẽ, lectu videntur suauissima, & quæ viris philosophis communicentur non indigna. Horum porrò libellorũ cùm corrupta admodũ nacti fuissemus exemplaria, partim scriptorũ culpa, partim etiã illorum negligentia, qui prophana sacris, & vulgata raris, hoc est, preciosiora vilioribus anteponũt, adeò deprauata, vt absque subtili interpretatione & acri iudicio, sanam ex illis impossibile foret elicere sententiam: Rem dignam, & omnibus naturalium & artificialium rerum studiosis indagatoribus gratissimam me facturum existimaui, si pro concessa dexteritate, vtrunque emendaremus exemplar, & suæ integritati restitueremus: quod ea fide & diligentia præstitimus, vt iam legi, & intelligi facilè possit. Quos tãdem libellos, sub tuo nomi-

ne & auſpicio imprimendos & edendos noſtro Co-
linæo tradidimus:& quicquid laboris,vel induſtriæ,
aut diligentiæ in eorum caſtigatione aut æditione
exantlauimus,id tibi præſul digniſſime merito con-
ſecramus,& in perpetuum meæ erga te obſeruantiæ
monumentum offerimus. Nam præter exactam lin-
guarum quam habes eruditionem, vt nunc poëtam
nunc Oratorem fœliciter agere poſſis : delectaris
plurimum eiuſcemodi, ac ſimilibus quibuſcunque
naturæ archanis,& admirandis rerum artificijs. Quę
quanto rariora,vel difficiliora ſunt : tanto magis ea
cupere,& amplecti videris,quaſi ad ſecretiorem fue
ris natus philoſophiam. Adde quòd multa tibi
iam debeo, quæ dignam ſaltem aliquam merentur
recordationem. Nam præter illum humaniſſimum
affectum, quo me proſequi ac recipere ſoles : tam
opportuno & vtili me donaſti aliquãdo munere, vt
animum meum à non modica liberaueris anguſtia,
& meam ſubſtantiam plurimum adauxeris. Cuius
beneficij dum vixero nunquàm ſum futurus imme-
mor. Quantum verò poſſis in poſterum, ijs perſpi-
cuum fore non dubitamus, qui tuam norunt cum
fęlicitate dignitatem. Non graueris igitur, pro tua
humana clementia, hoc exiguum munuſculum li-
beraliter accipere, & meliora (noſtræ potiſſimùm
induſtriæ ac profeſſionis) dummodo illud tibi per-

placuisse cognouero, propediem expectare. Quemadmodum enim mathematici à minimis & per sese notis principijs, ad immensas & subtilissimas insurgunt demonstrationes: haud aliter ab his pusillis literarum munusculis ad grauiora mathematico more procedemus, & de tua clemētia aliquid bene mereri conabimur. Vale. Ex ædibus nostris Lutetiæ Parisiorum 1542.

AD EVNDEM NOVIOdunensem Episcopum, Hexastichon.

Quid natura sagax, ars quid, sollertia, Cælum,
Possit in humanis rebus, habere cupis:
Hi quos è tenebris reuocauimus arte libelli,
Et tibi sacramus singula rite dabunt.
Traxit enim tetræ velamina noctis vterque:
Et facilem præbent ad grauiora viam.

EGREGIO VIRO M. IACOBO IVnio decretorum doctori, & Præsidenti in Camera Inquæstarum Regis, Frater Claudius Cælestinus, indignus ad cælestia anhelare,

S.



Acelestes influxus si sunt, & si à nobis deprehendi possunt, doctor inclyte, necnon causas apparentium mirabilium, rimari vtcunque me compulit pôdus tuæ autoritatis: scilicet vt iuxta magnum illum philosophiæ scrutatorem Nicolaum Oresme, qui ferè circa dies nostros emicuit, aliqua summatim exculpere laborarẽ. Feci inquàm satis desiderijs tuis, sed pro parua experientia quam in studio huiusmodi assecutus sum, non pro materiæ dignitate. Tuum autem erit iudicium quàm vtiliter, ita vt in rudi stilo venustatẽ non requiras. hoc solum attende, quod & me ad scribendũ pro parte appulit, si forte breuis hæc pagella prodesse pôssit ad cautelam, pro miraculis discernendis, seu pro astrologorum iudicijs. Vale.

De his quæ mundo MIRABILITER EVENIVNT, ET de influentijs cæli, F. Claudij Cæleſtini opuſculũ.

PROOEMIVM.



Vm aliquid mirabile contigerit vel
inſolitum, cuius cauſa nō eſt in prō=
ptu, recurrunt plurimi (qui ſcioli ſi=
bi videntur) ad cælum & influenti=
am cæli ignotam, tanquàm ad vlti=
mum & verè miſerorum refugium:
deuoti autem, ſi bonũ eſt quod euenerit, Deo attri=
buunt: ſi malũ eſt, dæmoni. Quod plurimũ ex igno=
rantia eſt: eo quòd cauſas rerũ naturales aduertere,
vel inquirere non volunt, vel certè negligunt, aut
non valent pro imperitia. Aperiendum eſt ergo effe
ctuum cauſas diuerſas mirabilium, vel inſolitorum,
qui vt plurimum contingunt ex errore circa cauſas
naturales. ¶ Intẽdimus itaq; primo, de mirabilibus
quæ ex errore viſiuæ potentiæ occaſionem ſumunt.
Secundo, quæ ex errore auditus. Tertio, quæ ex erro
re guſtus & tactus. Quarto, de nutritiua & digeſtiua.
Quinto, de generatiua & formatiua. Sexto, de errori
bus linguæ & diuinationibus. Septimo, de operatio=
nibus animę. Octauo, de operationibus dæmonum.

Nono, de influentijs cælorum.

¶De erroribus visus. Cap. I.

PRo primo notabile est, quoniã nõ fit visio per speciei receptionem solam in oculo, nisi virtus interior concurrat: vnde contingit vt apertis oculis nõ videas, si virtus interior alibi occupata nõ aduertat: & hoc est commune omnibus sensibus, vt sine virtute interiori aduertente, species recepta in organo non causet sensationẽ. Secundo nota, quoniam visus vnam formam corporalem solã nõ percipit: quoniam non colorem sine magnitudine, nec magnitudinem sine figura, nec figurã sine situ: hæc enim ab inuicem separari impossibile est per naturã. Tertio nota, quoniam ex indebita proportione formarum visibilium ad visum causatur deceptio. Sunt autem prçter obiectũ, & medium, & conuersionẽ potentiæ, octo quæ ad visum exiguntur: lux, distantia, situs, magnitudo, soliditas, diaphanitas, tempus competens, visus sana dispositio. Nam propter horum diuersitatem, causatur visio diuersa. ex errore igitur circa visum, & ex indebita proportione circa eũ mirabilia apparent. Per experientiam enim vna res videtur duç, propter positionem digiti super aut iuxta angulum oculi: & propter motionem oculi cum digito res apparet moueri, quãuis sit quieta. quinetiã

ſi homo fortiter moueatur in circulum, omnia vide buntur circulariter moueri. Res quoq; alterius colo ris iudicatur, propter qualitatem medij: vt per vitrũ rubeum, omnia rubea apparent. ſed & ex diuerſa lu= cis receptione, diuerſi colores iudicantur: vt in collo columbæ, & panno ſerico eſt videre. Baculus exi= ſtens in aqua, videtur fractus, propterea quòd vide= tur per radium refractum. Res viſa iudicatur in alio ſitu eſſe, ſi videatur per lineam reflexam: patet cùm iudicamus rem viſam per reflexionẽ ſpeculi eſſe in fundo ſpeculi, ſed & tũc iudicatur eſſe minor quàm eſt. Res velociſſimè mota, iudicatur propter diſtãtiã quieſcẽs: patet in Sole & ſyderibus, quę nobis quie= ſcere videntur, niſi poſt exactam conſiderationem: patet etiam in homine, de longe per lineam rectam veniente. Sic propter organi diſpoſitionẽ nõ natu= ralẽ, puta ſi in oculo ſit humor rubeus, aut citrinus, omnia citrina vel rubea iudicantur: ſi in medio pu= pillę ſit humor groſſus, omnia perforata apparent: ſi ſit humor niger, omnia plena muſcis vidẽtur. Ad= huc verò propter breuitatem temporis in iudicio er ratur: ſicut dum ticio ardẽs velociter mouetur, linea ignea, vel circulus igneus iudicatur: requiritur enim tempus ad iudicium: & quanto res magis diſtinctè & particulariter diſcernitur, tanto opus eſt tempore longiori. Vnde ſi repente res ante oculos trãſeat, nõ

discernitur quid est.& quis est qui sufficeret enarrare innumerabiles in visu errores,vel ex defectu iudicatiuę,vel medij,vel organi, vel speciei, vel ex inæqualitate illorũ octo quæ superius numerata sũt ad visionem concurrere? Vnde si quis asserat continuè ante se hominem videre,non est mirandum: sicut recitatur tertio Meteororum de Antiphonte. tantæ enim est debilitatis in visu,vt ei sufficiat reflexio facta ab aëre ad videndum : sicut mihi reflectit speculum. Quoniã omne medium est reflexiuum secundum plus & minus . patet de speculo,& de aëre: aliter enim si ab aëre non fieret reflexio,lumen non videremus.Si dicatur,quoniam Sortes in camera videt continuè patrem suũ,diu mortuum, possibile est:habet siquidem in virtute interiori speciẽ patris sui vel amici,quam ita fortiter imaginatur , vt quæ in prospectu sunt non aduertat.Et propter rationem istã, etiam contingit:vt de baculo,de vmbra visa,iudicet esse patrem,propter fortem phantasiam. Nã si in somnio res videãtur esse præsentes,quę non sunt,quia iudicium animæ per somnium est ligatũ:cur nõ poterunt apparere & in vigilia?quando fortis est phantasia,prohibens attendere quę circa sunt liberè.cum quotidie experiamur, qualiter homo dum se ad cõsiderandum abstrahit , ita vehementer se potest in phantasia actuare:vt sibi videatur videre patrẽ, aut

castrum,& huiusmodi. Timidus de aliquo mortuo cogitans: intrans camerã iudicabit se videre patrem olim mortuum. Auarus de nocte ad motum muris, vel sonum ostij:iudicabit adesse furẽ. Laborans amore heroico,amicam se amplecti ex sola phantasia suspicatur. Nec est mirandum, si passiones corrumpũt iudicia: quoniã plures videmus etiam propter passionem corruptè iudicare. Adhuc autem est valde notãdum, quoniã huiusmodi qui se putant videre dęmones, aut spiritus mortuorũ, vt plurimũ infirmi sunt, vel ad infirmitatem dispositi notabilem & durã: vt ad apoplexiam, ad paralysim, ad epileptiam, ad colli torturam, vel spasmum, vel coloris denigrationem, & huiusmodi, quę nota sunt medicis: propter inordinationem humorum, & fumos corruptos, ex quibus corrumpitur iudicatiua. Sicut igitur phrenetico, vel patiẽti melancholicam passionem, aut intranti epileptiam, & tales morbos difficiles, multa & mirabilia apparent, sine modo, sine lege: ita possibile est, quòd ad horã huiusmodi sanè sic accidat, & post horam quiescat. Vnde modicus humor aut fumus pestilẽs, in membris præcipuè cognoscitiuis, facit mirabiles apparentias & phantasias. Raro autẽ talia accidunt prudentibus bene complexionatis: sed melãcholicis, aut passionatis, & fortis imaginationis, sed debilis rationis, aut lunaticis, aut timidis: propter

diuersos fumos, aut humores corruptos. Vnde tales sunt communiter infirmi, aut prope infirmari, aut sunt pueri, vel mulieres, aut eis similes. Fortis ergo imaginatio de specie intus seruata, cum modica appar ẽtia exteriori, aut intemperantia alicuius circunstãtię, facit mirabilia apparere in sanis, & in infirmis: ita vt fortiter pauidus, de nocte ambulans de lupo putabit esse inimicum vel diabolum, pro quãto eos timet, & imaginationem suam habet ad eos: homo autem deuotus facilè angelum suspicabitur, & ita iudicabit.

De errore auditus. Cap. II.

CIrca auditum contingunt plures errores, ratione virtutis interioris malè iudicantis, ratione indispositionis organi, ratione medij, & ex parte coagentium & concurrentiũ, quæ sunt multa: inter quæ sunt ferè singula octo superius numerata, præter obiectum auditus & speciẽ eius quæ est quo fit auditio. Nota quoniam sicut color est obiectum visus, & à visu percipitur, lumine mediante: sic sonus est obiectum auditus, & ab eo percipitur, mediante motu. itaq; sonus cum motu auditur, & nõ sine motu percipitur: adeò vt sint qui asserant sonum esse motum sic factum, & sic ab auditu perceptũ, & non aliud: sed hoc sustinere est difficile, ait Oresme. Ego

autem addo, quoniam ita ſentire confunderet iudi=
cium naturale: & vix eſſet quin de quocunq; ſenſi=
bili poſſent ſimilia fingere, ſicut de ſono. ita quòd
color nihil eſſet, niſi lux ſic recepta in corpore termi
nato, & ſic ab oculo percepta. Odor eſſet fumalis
euaporatio ſic facta, vt olfactu perciperetur. Sonus à
motu quidem ſic facto cauſatur, ſed non eſt ipſe mo
tus. Nota ꝙ licet à Philoſopho quinq; cõmunia ſen
ſibilia deſcribãtur, nihilominus Vitelio in principio
tertij ſuæ perſpectiuæ dicit ea eſſe 20: & ſunt hæc, re=
motio, magnitudo, ſitus, corporeitas, figura, cõtinui
tas, ſeparatio, ſeu diuiſio, motus, quies, aſperitas, lęui
tas, diaphanitas, denſitas, vmbra, obſcuritas, pulchri=
tudo, deformitas, cõſimilitudo, diuerſitas. hęc enim
per viſum & auditum poſſunt cognoſci: & ratione
ſingulorum poſſunt contingere errores. Dico igi=
tur, eſſe poſſibile apparere Sorti quòd audiat campa
nam, vel ventum, vel aquam: cũ omnino nil audiat.
patet per medicos, ex hoc infirmitatem cerebri iudi=
cãtes, propter fumos, vel humòres cerebri, organum
auditus pulſantes, & talem illis diſpoſitionem cau=
ſantes, qualem ſolet campana, vel aqua, aut ven=
tus cauſare. Ad hoc autẽ iuuant illi fumi interiores,
cum diſpoſitione organi: iuuat forte virtus interior
ſenſitiua, quæ occaſione aliqua pro tẽpore illo, quo
percutit fumus organum, tunc cogitat campanam.

Quarto iuuat impressio fortior, speciei & cãpanæ.
Dico secũdo, quòd possibile est apparere Sorti vẽtum audienti quòd audiat campanam, aut audienti campanam quòd audiat hominem, & similia. Et hoc vel propter fortem actualẽ imaginationẽ, vel propter fortẽ impressionem speciei illius, & alterius nõ, vel propter medium per quod multiplicatur sonus: ex quo ipse accipit figuram, per quam & sub qua intrat ad aures talis species soni. Diuersis enim causis, sonus in medio diuersimodè figuratur, sicut apparet si quis digitum in aure mouendo ponat aliquantulum dũ cantatur, quàm mirabiliter sonus diuersificatur: sic ventus forte transiens per strictã fenestram, aut sonus cãpanæ per dumos cãporũ, aut ꝑ frondes arborũ, diuersas accipit figuras, ita vt aliter repręsentetur q̃ simplex sonus, vt videatur habere similitudinẽ vocis vel loquelę, maximè si fuerit species alicuius fortiter impressa in phantasia, vel si est actualis cogitatio: tunc enim leui occasione, fiunt mirabiles apparentiæ. imò si etiã non sit actualis cogitatio circa aliquid, tamen manente specie imaginatiua, pro modico motu facillimè facit apparere quod nõ est. Vt timidus propter figurationem leuem soni quem ventus facit, iudicabit audire se vocem hominis gemẽtis: Et Platonẽ audiam tussire, possibile est quòd credam esse Sortem. Sicut enim quandoque Sortem

distinguimus à Platone per incessum, vel p tussim, aut per sternutationem, licet differentiã plenè verbis explicare non possemus: ita in huiusmodi iudicio frequenter erramus. Dico tertio possibile esse quòd appareat Sorti existẽti in cãpis, vel in cauerna, quòd ei dicatur vade confessum, aut redde quod abstulisti: cum tamen nihil veraciter audiat præter vẽtum flantem, aut hominem cantantẽ, vel campanam pulsantem: & hoc est propter figurationem soni, vel dispositionẽ organi, vel propter speciẽ fortiter impressam, vt supra. verũ est autẽ tales apparẽtias raro cõtingere, propter multa ad hoc requisita. Oportet enim tunc sonum venti vel campanæ talem speciem in organo auditus causare, qualem causaret homo dicẽs, vade dormitum, vel redde ablatum: aut certe propter virtutem interiorem ita ad illud audiendũ inclinatam, quòd facili occasione oblata foris ad actum audiendi reducatur, propter fortem phantasiam præcedentẽ. Et sicut possibile est quòd sit error in auditu, sic possibile est esse in visu & auditu simul, vt credã videre me Sortẽ loquẽtem mecũ, qui non est, vel qui est alius, & alia dicens. Si enim quodlibet per se est possibile, non est ratio cur cõiunctim non sint possibilia: licet hoc eueniat raro, quoniam multa requiruntur. Dico quarto quòd possibile est quòd Sortes videat vel audiat nunc, quod prius nec

videre,nec audire poterat, nulla innouatione nota-
bili facta in re viſa vel audita, & medio , vel organo
bene diſpoſitis.patet hoc in quibuſdam morbis , ex
quibus(quia anima circa alia nō impeditur) homo
tunc videt & loquitur aliqua , quæ non poſſet, nec
ſciret in ſanitate. Sed & homo ſanus quandoque ſe
in tali diſpoſitione reperit,quòd à longe maiori q̃ ſo
litus eſt diſtantia videre vel audire poſſit.Vnde ho-
mo recollectus , & non diſperſus ad aliud , in cuius
cerebro non eſſet pro tūc alia fortior ſpecies, quàm
ſpecies vocis Platonis,medio multū tranquillo, poſ
ſet à valde magna diſtantia audire Platonem loquē-
tem,ſic & de videre.virtus enim interior , & ſpecies,
& bonitas organi , & actus cogitandi poſſent æqui-
pollere fortitudini ſoni aut coloris . Sanè à quanta
præciſe diſtantia poſſit fieri viſio,vel auditio: nemo
præter deum nouit.Dico quinto quòd in montibus
aut vallibus,aut templis & alijs locis aptis ad gene-
rationem echo , poſſibile eſt mirabiles diuerſas vo-
ces & loquelas à pluribus audiri, & quòd ex hoc oc-
caſionaliter mors vel tempeſtas patriæ ſequatur . ſi
enim ſonus echo per reflexionē repræſentet vocem
loquentis vt conſtat, poſſibile eſt vt tranſeat per di-
uerſas vias, ex quibus diuerſimode figuratus pote-
rit cauſare mirabiles apparentias, ſed & poſſibile eſt
quòd mors alicuius vel aliquorum inde contingat:

quia fortè ventus per loca infecta transiens, & aër malus cõmotus, eos venenosè infecit: vel fortè propter imagnationem solam, vtpote si antiquorũ fama diuulget, quoties talis sonus auditur, princeps moritur. Vnde vidi dominum terrę infirmitate correptum tandem mortem incurrisse, vulgo referente quòd draco de cælo cecidisset, & quòd hoc mortem principum denotaret.

¶ De erroribus gustus & tactus. Cap. III.

CIrca gustum, & tactum contingunt errores, vt quòd quis transiens per ignem, illum non sẽtiat: quòd manus abscindatur sine dolore: quòd vnus delectetur in vno cibo, alius illum execretur: imò & hoc eidem contingere videmus, diuersis temporibus. Sunt qui (vt dicitur) nõ comedunt, & nihilominus in sanitate perdurant, & sic de similibus mirandis. ¶ Nota igitur, quoniam si virtus interior non considerat, non fit sensatio gustus & tactus, patet in dormientibus, patet & in vigilantibus. cum homo fortiter cogitat, nõ sentit extra calorẽ, vel frigus, nisi violentum, sed & comedit sine sapore. Requiritur etiam tempus non nimis breue: vnde si subito manus per ignem ducatur, nõ sentiet: nec nimis longũ. ideo si per artem medicinę, membrum

per annum præſcinditur, dolor non ſentitur. Requiritur etiam debita diſpoſitio organi, ideo ſi cancellatis digitis tangas fabam, iudicantur duæ: quoniã ratione ſitus duo organa eſſe videntur, & virtus iudicatiua decipitur. Ex imaginatione quoque homo quandoque nauſeam patitur, & abominationẽ: quãdoque appetit comedere & fameſcere ex memoria ciborum. Sed & ſecundum bonam diſpoſitionẽ organi, & ſecundum quòd diuerſimodè ſpecies rei ſibi imprimitur, iudicium variatur: ita vt vnus iudicet vinum optimi ſaporis, alius amari: homo iudicat aliquid calidum, & poſt modicum mutata diſpoſitione iudicabit frigidũ. ſicut in balneante, vel febricitãte in paroxyſmo apparet. Nota ſicut in cęteris ſenſibus, ita & in iſtis ad ſenſationem exigitur virtus interior, ſpecies recepta, organum, medium tã intrinſecum quàm extrinſecum ſenſibile, diſtantia, tempus, his quæ ſuperius aſſignata adiunctis, & nihilominus eſt in his duobus ſpeciale, quòd obiectum guſtus & tactus agit in ſenſum non ſolum ſpiritualiter vt in reliquis ſenſibus, ſed etiam realiter, quoniam ſunt cæteris groſſiores & magis materiales.

Quoties ergo huiuſmodi quæ ad guſtum exiguntur & tactum ordinata ſunt, fit debita ſenſatio.

Quòd ſi inordinata fuerint omnia, vel plura: ſecundum modum inordinationis, mirabiles ſuper alios

ſenſus contingunt errores in eis. Nota qualiter diuerſorũ hominũ ſunt diuerſi guſtus,ſicut & diuerſi modè delectantur, propter multa : tum propter diuerſas imaginationes, quandoque propter organorum diuerſas complexiones, vel perſonarum. Modica enim diſpoſitio in principio,vel modicus error, facit in effectibus differentiam maximam, quod eſt valde conſiderandum. & idcirco licet Sortes & Plato quaſi ſimilis videantur complexionis in alijs membris,tamen pro valde modica differentia in ſtomacho vel lingua, vnus vnum , alius alium appetet ſaporem,propter paruã diſtantiã in principijs guſtã di:ſicut in pupilla oculi,parua indiſpoſitio iudiciũ viſus ſubuertet. Si vis ſcire quod eſt guſtus organum,& vbi iacet appetitus ciborum & ſaporum,cõſule medicos, Auicẽnam,& Galenũ de ſimplici medicina.Et per prædicta patet ratio,cur aliqui nũquàm poſſunt bibere vinum,ſunt qui per tempus,quidam alios potus.ſunt qui pinguia non comedant, & aliæ ſunt mirabiles phantaſiæ . imò magis eſſet mirabile , ſi omnes eodem modo appeterent, in tanta diuerſitate complexionum & organorum vel inſtrumentorum,quæ requirit appetitus. Quid quòd prægnantes quædam , & pueri,delectantur comedendo carbones,vel tegulas,aut cineres,propter organum eſſe extra ſuam diſpoſitionem.

De nutritiua,& digestiua. Cap. IIII.

CIrca vim appetitiuam & nutritiuam contingunt errores, & mirabiles inordinationes. Vt quòd aliqui nunquam famescunt, alij facillimè, quidam sæpe sitiunt & non famescunt, alij è conuerso: quorum causas medici declarant. Sed quòd quidam asseruntur per annos plures non famescere, nec comedere, hoc est magis stupendum. Dico tamen primo, quòd possibile est quòd non famescant, vt experientia docet de multis. Dico secundò, quòd possibile est quòd tam longo tempore, vtputa per annum, vel triennium, vel etiam per viginti annos (vt de quibusdam deuotis refertur) sine comestione viuant. Sic autem fieri posse videtur, si pori in talibus ita sunt clausi, quòd quasi nihil resoluatur ab eis, & calor sit modicus in comparatione ad membra solida & grossa & humida, ita quòd illa non resoluit, sit tamen ille fortis & sufficiens circa venas & neruos ad generationem spirituũ per quos stat vita. Humores quoque sint ita dispositi in vijs & instrumentis, quòd illum non suffocent nec extinguant, & sic de alijs concurrentibus, & requisitis ad vitæ continuationẽ. Verùm quia rarissimum est omnia simul in tali temperamẽto conuenire, rarissime etiam hoc contingit, nec ista

aſtruentibus faciliter aſſentiẽdũ eſt. Rara fides ideo, quia multi multa loquuntur non credenda. eſt quidem hoc fateor difficillimum, ſed nõ video impoſſibile. Nos videmus quòd ex ſebo, cera, oleo, lychno, vel lignis poteſt ignis componi, qui valde diu durabit: poteſt ex eiſdem fieri ignis, qui valde cito conſumetur. Videmus quædam mixta valde diu perdurãtia, vt aurum, & lapides: quædam valde parum. Videmus quædam animalia diu perſeuerare ſine cibo, quædã comedunt quaſi continuè. Videmus aliquos, quorum vnus tantum vno die comederet, quantum alter vno menſe. Vidi ſocium qui dum volebat, tantum vno die comedebat, quantum ſolitus erat in ſeptimana, ait Oreſme. Cum igitur in comedẽtibus inueniatur tãta diuerſitas complexionum, etiam in eadem ſpecie, tanta etiam diuerſitas in abſtinentia ciborum vel comeſtione: non apparet impoſſibile, quin in longum poſſit extendi: & quantum eſt hoc, ſolus deus nouit: nec eſt aliquis qui ſcire poſſit quãtum, vel vſque ad quod tempus ieiunare valet homo. Si ergo terminus ieiunij neſcitur, & tamen maxima in facultate abſtinendi inuenitur differentia: non debet impoſſibile dici, ad longum tempus, etiã ad 20 annos ieiunare. Quòd enim calor & virtus digeſtiua, & alia ad hoc requiſita, nõ poſſint reſpectu cibi præaſſumpti, & humorum in corpore exiſten-

tium ſic proportionari, quòd per annos 20 non maior fiat deperditio, quàm conſueuit fieri in vno die, duobus, aut tribus: non videtur impoſſibile. Multa enim circa appetitus diuerſos, & modum nutrimẽti miranda ſunt, quarum cauſæ ſunt nobis ignotæ. Etiam conſtat in venis & inteſtinis quandoque multam materiam reſeruari, quanuis non appareat foris. Inde aliquos contingit quandoque ſanguinem abundantiſſimè per nares emittere, vel fluxum ventris habere exceſſiuum, & materiam multam ex ſe proijcere, nihil comedentes multis diebus, aut quaſi nihil, & miramur quòd in vita perdurant. Sed hoc ideo eſt, quia calor cordis paulatim attrahit, quantũ ſatis eſt ad vitã: ſicut in animalibus illis apparet, quæ hyeme latent in cauernis. Pori igitur in caſu noſtro ſunt clauſi in corporibus huiuſmodi, ſic quòd ab eis reſoluitur quaſi nihil. Secũdò, in ipſis poteſt eſſe materia multa, & multi humores, ſaltem proportionaliter ad eorum complexionem. Tertiò, eſt debilis calor. Quartò, viæ interiores ſunt ſtrictæ. Iſtis itaque & ſimilibus proportionatis, caſus eſt poſſibilis. Nullus eſt præter deũ, qui cauſas effectuum valeat punctuatim limitare. Forte non eſt plus mirãdum, quòd homo diu poſſit ieiunare, quàm quòd qualibet die oportet eum toties manducare, niſi quòd non eſt ita conſuetum. Vbi eſt dare magis & minus, & plura

requiſita, difficile eſt aſſignare maximum & minimum. quis ſciret dicere quot piſa homo præciſè poſſet portare? imò quot ſextaria, & non plura? quia quanuis nullus vnquàm fuerit qui quarteria mille portauerit, tu tamen non ſcis quãtæ virtutis poteſt eſſe alius iam natus vel naſcendus.

¶De generatiua & formatiua. Cap. V.

Circa vim generatiuam & formatiuam ſunt errores multiplices, vnde mirabiles procedunt operationes. Sicut ſunt aliqui per lõgum tempus vinum non bibentes, qui poſtea ſunt vini multũ potatores & ebrioſi: & ita reſpectu ciborum, aliqui quoſdam horrent ad longum tempus poſt fiunt eorundem auidiſſimi: quidam in perpetuum non poſſunt guſtare. Ita poſſibile eſt aliquẽ tali modo circa virtutem generatiuam diſponi, vt cognoſcere non poſſit vnam, ſed eam ſummè odiat, alias autem cognoſcere poſſit: vel ex lapſu temporis incipiet priorem amare, & poſſe cognoſcere. Videmus quoq; Sodomitas ardentiſſimos, & ad coitum naturalem frigidiſſimos. Ad rationem autem cognoſcendam de diuerſitate appetitus comedendi, vel coeundi cõfert cognoſcere ex medicina, vel philoſophia naturali, quæ & quot ad hoc requirantur, vel quæ conferant, aut noceant. Nota ergo in huiuſmodi quoniam mi-

rãdum eſt quomodo natura ita ordinatè agit de cõ=
muni,plus q̃ quomodo contingit eam errare,vel ab
aſſueto mutari: quia ad primum multæ cauſæ requi
runtur, ex quarum ſingulis defectibus error eſt.
Vnico enim modo ſignum percutitur, ſed multis
modis deuiatur. Multò plura contingunt circa ap=
petitum comedendi & bibendi,quàm circa appetitũ
coëundi:eo ꝙ appetere multis modis circa eſum &
potum diuerſificatur,nõ ſic actus coëundi.quoniam
plures in diuerſis ciborum præparationibus delectã=
tur,nonnulli in vno, & ſic mille modis:cum tamen
forma cõmunis ad cibũ ſufficere deberet.ſed nõ ſuf=
ficit,nec eſt qui pręciſè rationes horum nouerit,niſi
ſolus deus . Imaginatio enim ſiue cognitio magnũ
præbet fomẽtũ huiuſmodi diuerſitatibus,& tũc pro
modico magnæ differentiæ oriuntur : quia paruus
error in principio,magnus eſt in effectu. Sed etiam
eſt notandum, quoniam quanto aliquis effectus à
pluribus depẽdet,& ad eum plura exiguntur: tanto
poſſunt ibi plures inueniri diuerſitates,& frequẽtio=
res errores. Vnde generatiua virtus cum ſit inter o=
pera naturæ nobiliſſimum, cui nutritiua deſeruit:
non eſt mirum ſi quàmplura iſtæ virtutes requirũt,
& à pluribus dependent:ſcilicet à phantaſia, & ope=
rationibus animæ, ab operationibus quinq; ſenſuũ,
ab operatione qualitatum primarum & ſecũdarũ,à

diuerſa proportione humorũ, à complexione membrorum, & alijs quàmmultis, & propter horũ diuerſitatem variari contingit has vires. De mõſtris quare fiant, vide Ariſtotelem 15 & 16 animalium, de his quæ requiruntur ad generationem. Eſt enim monſtrum defectus in generatiua animalis. Facilius quidem eſt producere elemẽtum ſimplex, quàm mixtũ perfectum, & mixtum quàm animal, & brutũ quàm hominem, & hominem perfectum quàm imperfectum. Et pluribus modis contingit deuiare, quàm ſignum attingere. Et vbi plura requiruntur, facilius erratur: ad humanam enim generationẽ tantis opus eſt, vt ſuper cætera viuentia tardius attingatur. Requiritur enim materia diſpoſita in qualitate & quantitate, ne deficiat aut ſuperabundet: ne excedat in caliditate, frigiditate, ſiccitate, aquoſitate. Requiritur ſpiritus plaſmatiuus ſatis fortis & proportionatus in caliditate & ſubtilitate, ne euaneſcat: requiritur locus temperatus, non lubricus, cum alijs multis: quæ dum concurrunt; vir pulcher generatur: ſi ſit defectus, fiet mulier, aut homo deformis, aut monſtroſus, pro modo defectus, vel fortè nihil. Ita ꝙ monſtroſitas eſt amplior, non attingere genus nec ſpeciem: ſicut qui ſolam molem matricis generant. Et plus deficit qui non generat hominem, quàm qui turpem. Sunt qui nullo modo

possunt generare, sunt qui possunt cum vna nõ cum alia. Sunt qui post tẽpus virtutẽ generatiuã acquirunt, quã diu nõ habuerũt, secundũ prius descriptas dispositiones. Amplius quoq;, quoniã ad fortem & firmã imaginationẽ sequãtur vehemẽtes passiones, & motus spirituum, & humorũ, calor & frigus, constrictio & dilatatio, non est mirum si exinde notabiles sequi possunt in generatione vel nutritione errores, & graues etiã infirmitates, vnde & sequi potest alia figura vel forma, præcipuè quando mẽbra sunt tenera, & corpus dispositũ, ita ꝙ tã vehemens possit esse imaginatio prægnãtis, ꝙ in fœtu tenero (qui est in principio sicut menstruum mulieris) sequeretur tanta alteratio, quòd efficeretur nanus, vel gigas, aut velut æthiops niger. Ad hæc tamẽ opus esset omnia requisita valde disponi, cum talia fieri non possent, nisi esset magna in primis qualitatibus & diu permanentibus alteratio. Sed est grauis difficultas quomodo fiant mõstra alterius speciei, vt sit error in specie, puta quum equus generat porcum, aut homo catũ. dicimus ad hoc quoniam nunquàm contingit error talis, generare scilicet partũ alterius speciei, sed semper simile à simili in specie generatur secundum philosophum 9 Metaphys. Nam etsi sit diuersitas in figura & colore, hoc non sufficienter concludit diuersitatem in specie, quanuis accidentia conferãt ad

cognoſcendum quod quid eſt. Sed hoc eſt exponen- dum in his quæ perfectionem attingũt ſuæ naturæ, non in his quę ſunt in via ad perfectionẽ, & necdum generationis terminum attigerunt: imò difficile eſt ſcire quæ & quot accidentia ſunt præciſe neceſſaria ad ſpeciem. Vnde & ſæpe decipimur in iudicando ca tum aut porcũ, qui nõ eſt. Adhuc multo eſt in mõ- ſtris hominũ iudicare difficilius: quoniam qua hora deus infundat animã rationalẽ, neſcimus, aut quãtæ vel qualis figuræ ſit tunc fœtus: ita vt putandum ſit neminẽ ſcire, aut ſcire poſſe, quæ & quãta diuerſitas in membris: ſatis eſt ad concludendum eſſe fœtum extra ſpeciem humanã, pręcipuè in principio natiui- tatis vel conceptiònis, quando ſcilicet fœtus omnes (etiam nõ monſtroſi) multum diſtant à perfectione tam in mẽbris q̃ in operationibus mẽbrorũ. ſed & ſi conſideres quanta & qualis ſit differentia Sortis dũ naſcitur, ad eum diẽ quo eſt vir in membris & ope- rationibus præcipuè ſpecificis: videbis eſſe maiorẽ q̃ ſit inter porcũ & canẽ dũ naſcuntur, vel inter aſinũ & mulũ, quæ tamẽ nemo negauerit diuerſarum eſſe ſpecierũ. Amplius, ſunt qui naſcuntur cæci & muti nullo tẽpore rationis cõpotes, minus q̃ canis: come- dunt autẽ & creſcũt, vt ſolitũ eſt. Sunt alij videntes quidem & audientes, ſed nulla ratione vtentes: & huiuſmodi apparet plus eſſe mõſtroſos, quàm debi-

ta figura carentes,tamẽ rationis participes, cum ma ior videatur in humana natura monſtroſitas, defe=ctus in principalibus mẽbris,ſcilicet in potentijs in=terius cognoſcitiuis, quàm defectus in alijs, puta fi=gura,& colore.vnde ſi talibus infuderit deus animã rationalem,quis nouit? Nihilominus poſtq̃ mulie=bris fœtus figurã debitã habet, nullus dubitat quin=ſit homo,quacunq; monſtroſitate non obſtãte.Sup=ponendum eſt,naturã licet tendat ad melius & per=fectius quantum poteſt, ordinatè tamen & ſucceſſi=uè agit generãdo. primo enim deſcinditur ſperma à parentibus,habẽs in ſe ſpiritũ formatiuum: quod in matrice receptum operatur mediante ſpiritu,donec materia ſpermatis cõuertatur in aliquod viuũ,quod nutritur & augetur,& eſt tanq̃ fungus. Cõmuniter fit animal quaſi non figuratum, vt Philoſophus nar rat in 16 animaliũ:poſtea ſpiritus ille, ſeu virtus for=matiua,dat figuram & colorẽ,& tale eſſe (ſi poteſt) quale eſt illud à quo ſperma deciſum eſt. Sũt autem gradus in formatione, quoniã poſtquam eſt animal informe,formatur conſequenter vt ſimius,poſtmo=dum vt pigmæus,& tandem vt homo perfectus: & hoc ſi ſpiritus ille ſeu virtus formatiua ſit ſufficiens, & habet materiam ſufficientem cum cæteris requi=ſitis. Alioqui erit error in generatione, nec attinget ſpeciei complementum,ſed ſtabit in medijs, aut pe=

nitus nulla erit cōceptio, ſecundum qualitatem defectus, ita quòd prima operatio corrumpitur quandoq;, & ſic nihil concipitur : quandoque concipitur quidē & fit aliquid viuum, ſicut mola matricis, ſed non pertingit ad ſenſum:quandoq; peruenit ad ſenſum, ſed imperfectum manet, nec debitam membrorum accipit cōplexionem. Puto autem huiuſmodi gradus ſpecie non differre, ſed accidentaliter ſolum. neq; enim ſunt aliqua ſpecies completa, ſed imperfectum aliquid tendens ad ſuam perfectionem, pertinens ad ſpeciem perfectam tanq̄ imperfectum quid illius. ¶ His igitur intellectis dico, ſi mulier animal pariat viuū, vt catum, vel vt porcum, ex defectu virtutis formatiuæ contingit, quæ caput non valuit facere rotundum, vel manus latas, ſed tantum fiſſas, vel caput à ſpatulis ſeparare nō potuit, & ideo in pectore figurauit. quoniā difficilius eſt caput facere rotundum, quàm oblongum : & ſuper ſpatulas erigere, quàm in humeris ſituare : & manus hominis vel pedes formare, quàm pedes porci aut vaccę. Sic itaq; contingunt monſtra huiuſmodi, ex defectu aliquo ſeu carentia. Nec mirum ſi quandoque ſit error, ſed multo magis mirabile eſt, quomodo natura ſæpius non deficit in via, ſed ordinatè de cōmuni curſu cōplet omnia. Sed an huiuſmodi monſtrū ſit homo, catus, vel porcus, aut noua ſpecies in mūdo generata?

Reſpondeo, quoniã attentis ſuperius diſputatis, graue dubium eſt, de differentia monſtrorũ, vtrum vna ſpecies perfecta poſſit aliam ſpecifice diſtantẽ generare: tamẽ malo dicere quòd nõ. quoniã puto ſecundum poſitionem Ariſtot. 15 & 16 animaliũ, & 9 Metaphyſ. ita eſſe dicendum. Si igitur in brutis hoc cõtingat, puta quòd porca pariat canem apparentem, tamen ex materia ſpermatica porci in loco competenti, & tempore congruo generatum, magis puto eſſe porcum monſtroſum pedes aut caput non habẽtem, aut in quo virtus formatiua errauit, ſolum ab alio porco accidẽtaliter diſtinctum, quàm quòd ſit alterius ſpeciei. Si verò talis fœtus mõſtroſus in ſpecie humana acciderit, ſed ex ſpermate viri in matrice tempore debito generatus, cor & membra ſeu organa interiora habẽs, dicam quòd eſt homo: & quòd cor habeat & alia organa vt homo, dicere debeo, poſtquàm de contrario non apparet. cor enim primo formatur ex ſpiritu ipſo: conſequenter cerebrũ, & à corde principaliter homo debet denominari. Supponere enim debeo ſecundũ quòd habet curſus naturæ, quoniam ſpiritus cum ſemine deciſus eſt, ad generationem ſufficiens, quamuis deficiat quãdoq; in figuratione aliquorum membrorum: fiunt igitur primo cor, poſtea cerebrum. Quid ſcio igitur, vel quis ſcire valet, ſi deus tunc illi infundat animam

rationalem, an expectet omnium membrorũ formationem? Nota autẽ quòd signanter dixi, fœtũ ex materia spermatica & tempore debito generatum, propter hoc quòd soleant quandoq; vermes & bufones in ventre generari, sed ex corruptis humoribus, non ex substantia spermatis, neq; tempore debito generationi fœtus. Ex dictis duo colligũtur corollaria. Primum est, non oportere si animal fœtum apparenter alterius speciei pariat, masculũ cũ fœmella alterius speciei coisse secundum medicos, & secundum Aristotelem 16 animalium, & est abusus hoc asserere. patet ad sensum in porcis & ouibus, in quibus frequentius hæc monstra accidunt, quæ tamẽ cum alia specie non coëunt. Secundum est, si in villa aliqua tale monstrũ contingat, stultũ est ex hoc illic graue malum esse, vel cæli pessimã influentiã iudicare, & propterea villã vel domũ esse destruendã, aut cõburendam. Nil enim stultius quàm asserere (sicut nonnulli dementes astrologi asserunt, imò diuinatores) esse influentiam in cælo quæ plus de se respiciat hãc mulierem vel hanc porcam quàm sibi vicinam, Quòd si instetur, esse visum quando talia horribilia eueniunt, multa inibi aduersa, & dura contingere: sed & mala sæpe contingunt etiã præter monstrosum euẽtum, nec habet aliquam causalitatem monstrum nascens respectu malorũ sequentiũ, sed in iudicio sæpe

homines deluduntur, quoniā quæ cum aliquo nota bili facto eueniunt, faciliter recoluntur ſecundum Ariſtot. de Memoria. vt tali anno fui grauiter infir- mus, propterea tenacius recordor eorum quæ tunc contigerunt. neq; propterea eorum eſt cauſa in ali- quo infirmitas mea: ſic & cū monſtrum notabile na ſcitur, malorum quæ tunc accidunt magis recorda- mur, & putant homines debilis intellectus mōſtrū naſcens iſta cauſare, quod nihil eſt.

¶ De erroribus linguæ, & diuinationibus. Cap. VI.

DE mirabilib9 linguę inquit Galenus ī De mo tibus liquidorum, quis docuit eam niſi deus glorioſus ad diſtincte mouendum & pro fe- rendum tam promptè ſingula, cū ſingulæ orationes adinuicem in figura diuerſificentur? Qui bene conſi derat, eſt grande miraculū. Quòd igitur ſine aduer- tentia loquitur propter cōſuetudinem, cotidie vide- mus in dicendo horas, & aliud mente cogitando. Nā & in alijs experimur quantum valeat vſus. Sæpe per villam euntes intramus domum vicini, nihil de hoc cogitantes, ſed cōſuetudine ducti, vel fortè propter præcedentē de hoc cogitationē, licet tūc de hoc non recordemur. vidētur itaq; in lingua hæc mirabilia: Quòd homo fortiter cogitans ſuper aliquo interro gatus reſpondet, nec poſtea de reſponſione recolit.

Quòd homo laborãs ſine aduertentia cantat. Quòd homo aliud cogitans pſalmos continuet & orationes, qui dormiens interrogatus reſpondet. Ad hæc quidẽ cauſæ concurrunt plures: habilitas & prõptitudo linguę, vſus & habituatio per frequentes actus acquiſita, excitatio per aliquid extrinſecũ facta, cognitio vel imaginatio confuſa, ſeu præcedens cogitatio. Nota ergo quoniã in diſpoſitis modica cauſa ſufficit ad effectum, ſicut pila rotunda in plano faciliter mouetur, lingua autem inter omnia membra ſumme mobilis eſt. Quòd igitur cogitans fortiter interrogatus ſuper aliquo reſpõdet, interrogatio ipſum pro tunc mouet: fortior tamen cogitatio aufert memoriam eiuș quod reſpondit, quoniam fortiores motus trahunt ad ſe minores. Sic & in dormiente conſtat, quoniam non reſponderet ſi eum interrogatio non excitaret aliquo modo. Nihilominus quia ſomno eſt fortiter oppreſſ9, ſtatim dormire reincipit, & reſponſionis non meminit. Nã & dormiẽs aliquantulum excitatus ſe vertit, vel manu aliquid apprehendit, vel ſi in manu illius aliquid fortiter calidum vel frigidum ponas, manum retrahit, nec horum quandoq; recordatur poſt ſomnum. de eo autẽ qui pſalmos continuat non aduertens, conſtat habituationem dicendi ſimul cũ primo propoſito pſalmos orandi, actum ſuũ continuare: ſimiliter qui la-

borantes cantant,ad hoc ſunt aſſueti : vel forte ab alio quem cantare audiunt,excitantur,ſimúlq; cogitatio eorum gaudioſa eſt,vel ſaltem indifferẽs. Alioqui ſi fortiter cogitarent de odibili,vel triſtabili,potius flerent q̃ cantarent . Sed quòd maniaci quãdoq; reuelant occulta,vel furta, vel prædicere vidẽtur futura ſatis mirabile eſt. Verũ eſt quòd tales ægri turbatum habent cerebrum,& inſtrumenta potentiarũ cognoſcitiuarum, propter fumos peſſimos multos ſurſum aſcendẽtes,ita quòd nec tacere poſſunt , nec in alijs membris quieſcere.vnde & cõtinue loquuntur,ſine ordine, ſine ratione,prout ſunt confuſi ſpiritus & ſpecies in eis.Ideò nec mirandum ſi in tanta multitudine verborum , contingat eſſe vnũ verũ, & maximè de malis:tales enim propter malitiã humorum,ſecundũ medicos,vt in pluribus ſicut mala cogitant,ita de malis loquuntur.Notandũ tamẽ,quoniam plura referuntur de eis,q̃ ſit veritas,ideò rara fides. vnde ſi à caſu de equo vel furto loquãtur,aſſiſtẽtes fortè conſcij furti facti de equo,de ſe dictũ reputabunt,& quaſi furtũ reuelauerit publicabunt:cũ tamen in veritate nihil ipſe de hoc forſan cogitaret. Quòd ſi veraciter authorẽ furti prodat , forte ipſe fur aſſiſtẽs ad hoc poteſt eos mouere occulto inſtinctu aliquo,cuius effectũ faciliter recipere poteſt anima maniaci, tũc nõ impedita p aliquẽ rationis actũ.

Mirabiles enim & occultæ ſunt in natura virtutes & operationes. Quis enim canem inſtigat ad cogno ſcendum domini ſui veſtigia per olfactum ? aut de duobus ceruis, quem illorum primo cœperit venari diſcernere ? In multis enim modica cauſa & quaſi inæſtimabilis virtutes cognoſcitiuas mouere ſuffi= ciens eſt. Fur igitur aſſiſtens forte maniaco, timet & tremit vehementer pro conſcientia ne ſe reuelet, & ſic medium aliqualiter immutatur, & per medium organum, & per organum virtus cognoſcitiua. Et hoc etiam modo imaginabile eſt, quòd quandoque futura prædicant ex occaſione foris oblata, maxime propter animam eorum non occupatam, ſed expedi tam, vt aliqua ratione poſſit vel cõfuſe futura vide= re in cauſis ſuis, & ſic linguam ad loquendum mo= uere imperfecte & confuſe. Vnde nec perfectas nec longas, ſed quaſi truncas orationes de talibus pro= gnoſticationibus loquuntur, nec bis reſumunt, & de propoſito in propoſitũ repente mutãtur. Sed hic eſt dubium, quoniam maniaci communiter dæmoniaci dicuntur, imò & Auicenna hoc in ſuo canone cap. 3. videtur velle, & dominus noſter IESVS CHRI= STVS in euangelio, & ſic plures ſancti. Reſpondeo quòd multi multa loquuntur, quæ non ſemper eſſe ita oportet. Vt enim ſuprà explicauimus, multi cau= ſas rerum inſuetarum naturales, vel ignorantes, vel

conſiderare negligentes, eas referunt ad dæmones, quidam ad cælum, alij ad deum: ſed non ita viri prudentes & ſtudioſi. Vnde nec Auicenna cum vulgo ſentit, imò cauſas dat naturales & remedia cõpetentia, qui vtique eſſent inutilia, ſi hæc à dęmone fierẽt, neque enim per remedia medicinæ adhibita dæmon fugaretur. De viris autẽ ſanctis qui hoc ſentire viſi ſunt, vel hoc ad mouendum ad deuotionem dixerunt, vel myſticè exponunt, vel ſimpliciter alijs credendo locuti ſunt. Cæterum quod de Euangelio Chriſti adductum eſt, fatemur Chriſtum per omnipotentiam ſuæ diuinitatis ad oſtenſionẽ miraculorũ talia permiſiſſe, ſcilicet vt dęmones corpora quorundam poſſiderent & eos vexarẽt, vt eos expellẽdo ſe ſuper omnia dominũ oſtenderet: ſed non eſt conſequentia efficax., Chriſtus ita tunc fecit, igitur & nunc facit. Non enim fiũt miracula præter cauſam, quæ nunc non conuenienter poſſet aſſignari. quin ęqualiter affirmare poſſem, omnem morbum facere dæmonem. Vnde & plures ſancti viri nimis faciliter multa credere potuerũt, ſicut ſunt multi qui omnibus quæ ſcripta legunt aſſentiũtur, ignorãtes quàm multi fuerunt malè ſcribentes. imò & multi theologi ad cauſas cognoſcendas intellectum non apponentes, ſæpe plus de miraculis creduli quàm deceret gradum eorum in huiuſmodi deluduntur, contra


illud Euangelij, Estote prudentes sicut serpentes. Vnde dico quoniam nullius hominis autoritas debet ligare, vel mouere, nisi sit hominis periti, & qui fortiter studuerit in illis de quibus vult sibi credi, & quòd sit boni iudicij, & multa expertus in illa materia, quantumcunque sit valens in alia. Et cautè est consyderandum quis loquatur, de quo, per quē modum, & quare, vel si gratia solum exēpli. plura enim audies à multum reputatis sæpe satis simplicia, & examinata parum. Caue igitur.

De operationibus animæ. Cap. VII.

DE mirabilibus quæ circa animam contingũt, vel circa totum hominem, multa essent dicēda, quoniam multò plura & maiora contingere possunt, tam ex parte animæ quàm corporis. videmus autem qualiter quidam sunt ita excellentis ingenij, vt prædicere possint futura, vel occulta cognoscere. pro quo nota qualiter inter homines est magna differentia in corporali figura, quantitate, & complexione, & multo plus in intellectu & voluntate: ita vt sint quidam intellectus eleuatissimi & clarissimi, etiam super humanum modum: nonnulli autem per ruditatem ingenij à iumentis non distātes. Quidam optimi sunt, & optime morigerati, cũ sint plerique discoli, & per omnia malignantes. Nec est

mirum de tam multiformi dissimilitudine, si attendamus vnde causetur diuersitas, videlicet ex causis principalibus & coadiuuantibus, loco, situ, motu, tempore, & alijs quasi infinitis: quoniam incertum valde est, quæ & quot sunt, quæ ad diuersitatem causandam concurrere, vel coadiuuare possunt. Hoc adiuncto, quoniam pauca in principio differẽtia maximam in effectu inducit, secundum philosophum in primo cæli. Est etiam notatu dignum, qualiter vbi inuenitur maius & minus, difficile est, vel forte humano intellectui impossibile, assignare maximũ & minimum, vel singula media, & proportiones singulas mediorum. soli deo hoc cõgruit, qui nouit solus terminos rerum, & potẽtiarum, & durationum, & magnitudinum, necnon & numerum proportionum intermediarum. Notandum quoque, quoniam sicut ex parte corporis inuenitur maxima in hominibus distantia. sunt enim quidam gigantes & fortissimi, sunt alij imbecilles omnino & nani, quidam sunt sanissimi, alij continue ægrotant, quidam acutissimi visus, quidam agillimi & velocissimi, alij sunt qui vix in ambulãdo pedes possunt leuare. debemus igitur concedere, in intellectibus esse maximam distantiam. Quidam enim vix quid hodie comederint recolunt. Sunt alij (sicut de Seneca legitur) mirabilis memoriæ. Quidam habent clarissimum ingeniũ,

& vix credibile multis.mirabiliter inuẽtiui, ex paucis multa,etiam ſecreta , imò & futura debitè coniectantes,ex cauſis effectus, vel ex effectibus cauſas, excellenti perſpicacia intellectus concludẽtes,quos prophetas vulgus appellat.Hos autem iuxta philoſophi verbum:dicimus viros heroicos, & vltra humanam virtutem diuina participantes.Alios autem ita rudes videmus, vt nihil vnquàm inuenire ex ſe, ſed vix aliquid groſſum capere poſſunt à doctore. Et inter hos gradus medij plures ſunt,quis autem ſit maximus nouit ſolus deus , licet ſit veriſimile aliquem eſſe intellectum perſpicaciſſimum,non reſpectu omnium,qui fuerunt aut futuri ſunt vel eſſe poſſunt,ſed eorum qui ſunt. Homo in ſemetipſo experitur qualiter quandoque ſe ipſum excedit , vt in quadruplo vel decuplo clarius intelligat,promptius inueniat,vel pluriũ facilius recordetur,quàm aliàs: & vnde tanta ingenij ſubito ſuperueniat copia admiratur.Quare igitur non potes imaginari,quoniam ſicut tu ipſe teipſum in diuerſis tẽporibus mirabiliter in claritate intellectus excedis,ſic poteſt alius notabiliter tuam etiam optimam diſpoſitionẽ excellere . Quanta eſt diſtantia intellectus Platonis ad vnum ruſticum beſtialem ? & quis ſcit an à deo alius factus ſit tantum in perfectione Platone præſtantior,quantum Plato ruſticum anteceſſit?Com=



plexio enim temperatā valde in organis cognitioni deſeruiētibus ſpiritus clari, humores ſubtiles & pro- proportionati, faciūt ad bonitatem intellectus, cum cæteris ad huiuſmodi operationem requiſitis, vel cooperantibus: præcipuè autem habitus boni, qui per actuum frequentiam acquiruntur, per quos anima ad operandum habilitatur, & redditur potētior. Idcirco quanto anima plus ſtudet & inquirit & inuenit, tanto intellectus efficitur perfectior ſecundum Ariſtotelem 2 & 3 de anima. Ex quo concludere fas eſt, quoniā cum intellectus ſit virtus paſſiua, ideóq; non terminatur ad maximum, ſed ad minimum ſecundum Ariſtotelem primo cæli. Receptio autem ſpecierum & inquiſitio perficiunt animam, & operando, inueſtigando, intelligendo ſemper anima in profectu creſcit. Si igitur homo cum ſit liber, poteſt inquirere & ſtudere veritati quando vult, quo facto, plus poteſt quàm antè: ſi ſecundo, ſi tertio, & ſic conſequenter, continue efficitur in intellectu potentior. Si inquàm eſſet qui ita ſe actuaret, optimum habens ingenium, ſuper communitatem, organa excellentia, & omnia optime diſpoſita, quæ ad intellectualem perfectum opitulari poſſunt, quid putas huiuſmodi poſſet ſcire? maximè cum quoſdam iam notauerimus in intellectus claritate excellere incredibiliter alios. Nónne eſt qui plus cū pauco lumine

videret, quàm alius cum lumine ſolis in meridie? Vidi quendam puerum grammaticum, qui ex paucis principijs primi Euclidis inueniebat mirabilia, & concluſiones quas ei proponebam promptè concipiens, mirabiliter ad principia reducebat. Ex quibus patere poteſt, non eſſe incredibile hominem taliter poſſe intellectus viuacitate pollere, vt futura vel occulta cognoſcat. quoniam per modicas coniecturas multa nouerit ſalubriter ſyllogiſſare, & ex effectibus cauſas, vel ex cauſis effectus præuidere. Sic enim quotidie videmus, qualiter prudens medicus ex aliqua leui quam putas cõiectura præterita quędam reuelabit, vt comediſti tale quid, aut aliàs talẽ morbum habuiſti, vel etiam futuram tibi infirmitatem prognoſticabit: quem ſi neſcires medicũ, prophetam putares, aut quòd à dæmone hoc haberet iudicares. Neque valet conſequentia, ego non video qualiter ex tali ratione concludatur, aut cognoſcatur hoc: igitur nec ille poteſt videre. Nota conſequẽter aliquas eſſe ægritudines, quę quãuis aliquas operationes impediant, alias tamen intendunt. vt patientes opthalmiam clarius vidẽt, & habens apoſtema citius ſentit, & quidam febricitantes citius percipiunt vinum quàm rem aliam, ſecundum Ariſtotelem in problematibus. Eſt igitur imaginabile, quoſdam exceſſus circa potentias cognoſcitiuas, vel

organa quæ ipſas eleuant & fortificant pro hora, & hęc videtur radix quare maniaci prædicant futura vel occulta reuelẽt. per antiperiſtaſin enim fugiẽtibus ſpiritibus & ſubtiliatis, & quia anima circa alia non occupatur, efficitur potentior, & clarius cognoſcit: & hanc cauſam quare quidam ante mortẽ gaudent & cantant, reddit commentator in De morte & vita. Verum eſt quòd in maniaco non diu durant ſpiritus illi ſubtiles, quoniam groſſi ſuperuenientes illos obtenebrant, quod & in pleriſque ſanis videmus: qui cùm ſint ſubtiles valde ingenio, ex facili cauſa turbantur, propoſiti obliuiſcuntur, & capite infirmantur etiam quandoque vſque ad deſipientiã. quoniam ſpiritus quanto ſubtiliores, tanto facilius à fumis groſſis alterantur. Nota igitur huiuſmodi excellentia ingenia, ex modica cauſa vel effectu concurrente aliquid poſſe prædicere, quod nunquàm alter præuideret, imò reputaret impoſſibile: ſicut experientia docemur, qualiter ignorans linguam, ex ſola audita dictione cum auxilio eorũ quę aliàs ſcit, cõcludet vnde fit ſermo. Et homo peritus in armis, duos exercitus ſibi obuiare conſyderans, ſtatim quis vincet & quis vincetur iudicabit. teſtantur experti. Sic homo acutus & plenus experientiarũ, ex mutatione coloris aut ex aſpectus qualitate, vel oculorũ inſtabilitate, occulta hominis penetrabit. ſæpe enim

à rudi & imperito non reputatur, quod apud intelligentes multam & magnã differẽtiam facit. nónne si græcus tibi multa loquatur, omnia tibi videbuntur eadem vel quasi, pro quanto diuersas linguæ cõfigurationes & organorum non percipis, quæ distinctę gnarus idiomatis græci cognoscet? sic quo ad interpretationem somniorũ, & occultatorũ reuelationem, qui acuti sunt intellectus, ea quæ cæteris nullius reputationis sunt, distinctè singula profundũt, & diiudicant intimo sapore. Verum est & bene notandum, quoniam huiusmodi clara & egregia ingenia, quæ sic occulta sufficiunt penetrare, non solum circa futura vel secreta reuelanda sunt excellẽtis intellectus, sed etiam circa quæcunq; alia: vnde nõ est putandum vel assentiendum mulierculas fatuellas, futura, vel occulta furta detegere, sicut promittũt, sed pura mendacia sunt. In quibus nescio per quas fallacias homines miseros deludunt. sicut qui caute inuestigat potest euidenter cognoscere. Est adhuc modus quo reuelatio occultorum possibilis apparet. cum enim species coloris non solum recipiatur in oculo, sed etiam quãdo in lumine est fortè color rubeus apparebit in pariete propter opertorium in domo rubeum fortiter illuminatum per reuerberationẽ, & in echo sonus generat sonum: ita persuaderi potest quòd aliquæ species in anima Sortis forti-

ter impressæ, & eo vehementer cogitante, volente, vel desiderante, quòd illud scirem vel inde moue=rer, possibile esse animam meam moueri aliqualiter ab illis speciebus existentibus in Sorte, præcipuè quando cætera necessario requisita optimè disposi=ta sunt, & intellectus est excellenter acutus: possi=bile est enim Sortem qui furatus est equum, dum staret coram me, fortiter in corde suo timere ne eum prodam, possibile quoque est pro tunc à casu, me de furto, vel de equo, vel quòd Sortes est fur co=gitare. Dico igitur fieri posse, medium esse dispositũ, & organa, & alia requisita, & spiritus in Sorte, & spe cies sic commotas & actuatas, quòd ipsi me taliter cogitantem mouebunt ad manifestandum furtum Sortis quasi incognitũ, & quasi species in Sorte exi=stentes, in me causauerint similes: sicut & per reuer=berationem generantur. Nunquid organa sensuum interiorum & exteriorũ ex carne & neruis materia=les sunt, vt in eis remanere species possint? Quis no uit per quãtum tempus ibi conseruentur, & non vl=tra? Quis rationem reddet, aut asserere audet, quare non se possint multiplicare vsq; ad aliũ sensum, præ=sertim optimè dispositum, & cui nihil desit de mul=tis quæ ad hoc exiguntur? Non tamen præsumo cũ Auicẽna asserere species huiusmodi etiam localiter corpus distãs posse mouere, sicut de quo allegat, qui

per imaginationem nudum in foueam præcipitauit. Mirum autem vnde quòd per talem imaginationẽ hoc causatum sit scire potuerit. Hoc enim purè mihi videtur contra philosophi doctrinam. Ideo positionem hãc refuto. Aristot. enim de motibus animalium, vult animã corporis esse motricẽ & membrorum, & in duodecimo Metaphys. intelligentiam orbes mouere, & vij, & viij physicorũ, simul sunt mouens & motum. hæc post Oresme. At quando se occasio obtulit, placet hoc de actiuitate imaginationis tangere, quoniã est opinio Auicennæ, Algaselis, Alpharabij, & Arabum multorum, veram magicam, quæ & scientiæ nomen habet, per causas ferè naturales: sicut Algazel 5 suæ Metaphysices astruit, & ꝙ naturam facere miracula est possibile, pro quãto animam rationalem possibile est per se trãsmutare materiam, & hyle mũdi, seu elementorum naturam. & his rationibus nituntur. Primo causæ eiusdem rationis in passum agunt eiusdẽ rationis, anima autẽ hominis eandẽ secundũ substãtiam cũ anima cæli participat rationem, cum sit vtraq; intellectiua, appetitiua, motiua. anima autem mundi agit in hyle mundi multipliciter, transmutãdo, calefaciendo, frigefaciẽdo. Secundo anima humana trãsmutat corpus proprium, ergo & alienum. Patet consequentia, quoniã transmutare aliud sibi competit, aut quia informat,

aut quia mouet:non quia informat,neq; enim informare potestatẽ elargitur transmutandi, vel alterandi,alioqui omnis forma esset alicuius trãsmutatiua, ideo quia mouet. Ergo cum non apparet ratio cur non possit mouere alienum siue proprium corpus, poterit & alterare & transmutare. Tertio,si corpus alienum transmutandi animam in diuersas affectiones gaudij vel doloris habet potestatẽ,sicut corpus filij mouet matrem,multo fortius anima mouere & alterare poterit corpus alienum. Quarto,nõ plus potest oculus solus in totum corpus alterius animalis, quàm tota anima:sed oculus hominis inficit corpus alterius paruuli,vel cameli, quem in foueã proijcit, oculus menstruatę speculũ inficit,oculus reguli hominem interficit. Quinto,facit ad hoc,quòd serpens cognoscit virtutem incãtatoris, vt in psal. legimus: ergo non est hoc à substantia separata. neq; enim in existimatione bruti cadere potest virtus substantiæ separatæ,sed sensibilia sola. Rationes hæ fortes sunt, & apparentiæ multæ:sed eas nunc discutere non est animus.

¶ De operationibus dæmonum. Cap. VIII.

QVoniam de maniacis sermo est habitus, qui vulgo possessi à dæmonibus dicuntur, per quos mirabilia faciũt, vt vulgus clamat,

inquiramus an dæmones ſecundũ verã Philoſophiã Ariſtot. ad effectus concurrant horum inferiorum, ſicut eis attribuitur cõmuniter ab hominibus, vt ꝙ maniaci reuelent occulta per eos, aut per artes magicas, aut necromanticas, innouationes, & coniurationes. Et primo ſi dæmones ſint, nulla ratione naturali conuinci poteſt, ſed ſola eſt fide credendum: prout Plato in Timæo teſtatur, dicens: inuiſibiliũ poteſtatum, quæ dæmones appellantur, ponere rationẽ maius opus eſt, quàm ferre valeat hominis ingeniũ. Igitur compendium ex credulitate ſumatur. Ariſtot. quoq; ſolum diſtinxit tria genera animalium: volatilia quæ in aëre, aquatica, & greſſibilia quæ ſup terram. Plato quartũ (vbi ſupra) addidit cæleſte genus, plenum diuinitatis. Quòd ſi inſtetur, quoniam multa fiunt mirabilia, ſicut futura maniacos prædicere, hominem ſine ſcalis repente in aëra aſcendere, ranas & muſcas ſubito per totam patriam fieri, & cætera quæ per magos & necromanticos exercentur. Hæc autem fieri à natura nequeunt, ſed neq; ſunt miracula à deo facta (abſit.) Dæmonibus ergo ſũt attribuẽda. huius rei teſtes ſunt ſacra ſcriptura, imò & Chriſtus Dominus, & ferè totus mundus, & ſcripturæ doctorum autenticorum. Dicit Oreſme primo, ex nullo effectu quem viderim, vel ab his quibus digne ſit credendum, adhuc audierim, poteſt naturaliter

probari dęmones esse:pręcipuè tales quales vulgari-ter diffamãtur.Sed nec dęmones esse rationi naturali repugnat,imò stulti sunt quidã scioli Philosophię naturalis,qui dæmones esse derident, quasi principijs naturalibus repugnãs,quod falsũ est.Sic enim & animam esse rationalẽ,aut aliquas intelligentias,negare possunt.Sed è contrario effectus mirandi, qui sunt inducti ad conuincendum dæmones esse,vel ad effectus illos concurrere, non sufficienter cõcludũt. Nam dæmones esse,& multa fecisse,etiam per ministerium maleficorũ ex fide nostra tenemus. sed hoc solum posse,quòd certa ratione vtilitatis ecclesiasticæ & salutis credentium, à domino permittuntur. Absit autem talis insipiẽtia, vt concedamus eos per coniurationem vnius vetulę,vel per stultitias necromanticorum,& aliorum magorũ ita dęmones arctari posse,vt talia perpetrare qualia stulti & dementes eis imponũt,aut quòd tales stultitias sine causa Dominus permittat,vbi nulla est apparentia salutis,vel hominum conuersionis,sed sola subuersio animarũ: vt sic perditis hominibus ad perditos fures deseruirent.Illusiones igitur sunt nihil veritatis habentes.

¶Vt autem respondeamus obiectis. Nota qualiter huiusmodi qui de incantationibus se iactãt,vt quòd de fœno apparere faciant vitulũ, vel in plana terra quòd faciant apparere fluuium,aut alia miranda, si-

cut dicitur, miseri sunt & nudi vel pauperes. ex quo concludendum est mendacia esse quæ loquuntur, quoniam si vera essent, infinita lucrarẽtur. Vnde nullo precio, nullis precibus obtinere potui, vt coram me facerent, quod pro pauca pecunia, & pane lucrando coram alijs faciebant: imò fingebant, & videntes deludebant. Expertus sum ego nonnullos valentes, qui tales incantationum modos mirabiles se vidisse affirmabant, quos diligentius interrogans mendacij conuincebam, ita vt non vidisse, sed audisse recognoscerent. Nulli igitur in his quæ contra rationẽ sunt credendum est faciliter. Neq; te moueat fama, quoniã multi faciliter credunt quæ nunquàm viderunt, etiam viri literati, sed causas rerum non discutiẽtes, inconsideratè ad morem vetularum loquentes, hoc esse notorium dicunt, quod si cautè considerarent, cognoscerent esse falsissimum. Quòd igitur in libris autenticorum aliqua talia leguntur, non semper est verum, sed sæpe eis ascribuntur per mendacium, vt legentes magis decipiant. Quòd in medicina quidam scribuntur habere dæmonium, nihil aliud accipitur nisi passio maniaca, contra quam prosunt quędam medicinalia. Quòd in sacra scriptura de magis Pharaonis vel de Simone Mago, & in Euangelio de dęmoniacis legitur, fatemur ita permissum esse quãdoque à deo certi ratione mysterij. Et quid? Deus po

test adhuc. Sed consequens non est, ergo & Deus ita in hoc permittit. Alioqui si ideo quòd deus quãdoque miracula fecit & permisit, credendum passim esset quòd adhuc faciat aut permittat: nulla esset fides stabilis, sed de omnibus, etiam de articulis fidei, dubitandum esset, cum deus oppositum possit. Si enim omnia esse, vel futura esse, quæ deus fecit aut facere potest vellem cõcedere, mira haberem credere. imò ex tali argumento, deus fecit aut facere potest, igitur deus facit, si esset sufficens causa quòd deberem credere quoniam deus hoc facit vel faciet, periret omnis philosophia & theologia. deus enim nouos articulos facere potest, & destruere antiquos. Adhuc quòd Macrobius asseritur cõtra scripsisse, dico quoniam non miror ita fuisse deceptum, sicut & hodie magnæ literaturæ viros, & magnæ reputationis, videmus opera quædam quasi miranda supra naturam putare, de quibus in perspectiua doctus causam faciliter reddidisset. Et ægritudines quasdam imputant dæmonibus, quarum causa purè est naturalis. Cæterum non volo negare, quin deus per se, & per suos multa miracula fecerit, & quòd per dæmones aut magos faciat, aut fieri permittat, fecerit aut permiserit mirabilia multa ad suum honorem, & salutem bonorum, seu etiam ad excæcationem reproborum, quia sic merentur. Sed non tales trufas, aut

per talem modum, & his diebus, quoniam ecclesia non indiget miraculis. Quòd si sortilegi, aut malefici, vel vetulæ miseræ, per violentiam tormentorum mira se fecisse fateantur, non credas eis, quia vere nõ fecerunt, etsi se fecisse putent vel asserant. Quòd si resistas prædictis, quoniam secundum ea nullis miraculis esset credendum, etiam si duæ bonæ & boni testimonij personæ se mirabiliter fuisse assererent à domino per merita sanctorũ aliquorũ à graui morbo curatos. Dicimus primo consequentiam non valere, cum non sint miracula contra rationem, imò nulla est melior ratio quàm fides Christi domini, propter quam fiunt. Vnde articuli fidei sunt rationabiles, & optime probati, tum per miracula, tum per martyres, tum per magnos & doctissimos viros, qui eis indubitanter post innumerabiles probationes & discussiones assenserunt. Vnde quanuis fides mirabilia protestetur, vt trinitatẽ, penetrationẽ corporum, resurrectionem. Sed in philosophia ponũtur æque forte mirabilia, minus multo probata, nisi quia vsitata, vt de materia prima quid est, de eductione formæ, cuius prius nihil extiterat, de accidentibus, quæ res sunt, quomodo sine penetratione simul sunt, quid est natura rerum, quid quidditas, quomodo ex materia & forma fit vnũ, vel ex duabus partibus continui, quomodo in continuo sint

infinitę partes. quę singula magis sunt ignota, quàm plures articulorum. Dico secundo, ꝙ etsi videatur gloriam dei sapere, quæ cõtingunt attribuere miraculo, non est tamen necesse. imò esset multæ imprudentiæ, cuilibet credere dicenti esse factũ miraculũ: tum ꝙ sæpe boni simplices decipi possunt, quod est pure naturale propter ignorãtiã attribuẽtes miraculo: tum ꝙ astuti de ecclesia & malignãtes, vt auaritię suæ cõsulãt, quotidie fraudibus exquisitis miracula fingũt, sicut experiẽtia docet. Hæc idcirco notaui, ꝙ facilitas credendi indiscreta destruit philosophiã naturalẽ, grauia pericula ingerit in fide & bonis moribus, erítq; via Antichristũ recipiẽdi, vel nouã legem introducendi. Nota quoniã secũdũ sentẽtiã Nicolai Oresme, opera magorũ sunt solũ deceptiones & illusiones: vnde & de magis Pharaonis negat ꝙ virgas mutauerint in dracones, aut aquã in sanguinẽ: aut si ita fuit, à domino factũ est, quoniã vere miraculũ est. Ex quo videtur Pharaonẽ iustã habere, vt Mosi nõ crederet excusationẽ, propter miraculũ factũ cõtra Mosi miraculũ. Rñdeo, si Moses nõ fecisset postea miracula, quæ sufficiẽter euacuabant facta magorũ, vere Pharao erat excusandus, sicut de miraculis dicitur quę ꝑ Antichristũ fieri debẽt. Illa enim dñs inualidauit per scripturas sacras, vt futuri sint inexcusabiles eis attẽdentes cõtra scripturarũ prohibitionẽ.

De influentijs cælorum. Cap. IX.

SVpereſt quod difficilius eſt, an mirabilia hæc ab influentia cæli cauſam habeant. de quo etiã poteſt queſtio moueri, An effectus futuri poſſint per aſtrologiam præſciri, quaſi per ſcientiã quæ verſatur circa poteſtates & influentias aſtrorum cognoſcẽdas. Equidem ſatis euidens eſt, aëris infectionem, peſtilentias, tempeſtates ventorum, grãdinum, niuium, & pluuiarũ, terræ ſterilitatem, vel abundantiã, & cetera talia, ad que induſtria humana nõ attingit, eſſe à celo. ſcrupulus autem amplior eſt de agilibus per nos, qualiter cælũ per influentiam cõcurrat. nam mirabilium euentuum particulares cauſas & immediatas ſatis ſupra declarauimus, vt pro cauſis habendis recurrere ad cælũ non ſit neceſſitas. Qualiter tamen effectus iſti inferiores in cælo habeant correſpondentiam, tanquam in cauſa prima & vniuerſali nõ erit otioſum, an ſcilicet per influxus agat occultos diſputare. Nicolaus Oreſme in huiuſmodi difficultate ponit hanc concluſionem: Non oportet ponere in cælo qualitatem ſeu influentiam, præter lucem & motũ ſuum, ita quòd quicquid agit in hæc inferiora, per lumen & motum agit, nõ per ignotas qualitates quæ influentiæ dicũtur. Oporteret enim in cælo ponere infinitas, (ſicut hic infinite fiunt) generationes. ſi cælum fuit perpetuò, ſecundum quòd

ponit philoſophus. Non eſt adhuc neceſſe ponere multas influentias, quoniam ſecundum comment. 2 de generatione, diuerſitas proportionum qualitatum & elemẽtorũ eſt cauſa diuerſitatis in iſtis inferioribus. Secũdo ponit hanc ſecundã cõcluſionẽ: In principio anni Saturnum eſſe in aſcendente, abſque aſpectu alterius planetæ, & ibi habere fortitudinem, non eſt cauſa frigoris in illo anno: cuius oppoſitum ponit Albumaſar in quarto tractatu. nec Arietis aut libræ eſſe aſcendentem in natiuitate, eſt cauſa quòd homo ſit cauſa mortis ſuæ. ſicut dicitur 37 verbo centiloquij. Nec Luna eſt origo virtutis naturalis, nec Saturnus virtutis retẽtiuę, nec Mercurius cogitationis, & ſic de ſpecialibus quæ Aſtrologi ponũt. Hãc concluſionem probat, quoniam cauſa dici non debet, ſine qua effectus poteſt eſſe. Quandoque autẽ eſt magnum frigus, abſque hoc quòd Saturnus ſit in aſcendente, &c. prout etiam ipſimet ponunt, & probaretur ad ſenſum. Igitur non eſt cauſa. Et ſimiliter de cæteris deduci poſſent, quæ in eadem concluſione ponuntur. Adhuc Saturnus quanuis ſit in aſcendente, non eſt propinquior, nec magis perpendiculariter reſpicit, nec ſui radij amplius congregantur, quàm per horã poſt, imò minus. Igitur non fortius inducit ſuam virtutem: ex his enim actio cauſæ intendi habet. Amplius, quare Sortes moritur vel

ſanatur, quare bellat, quare diues eſt, & ſic de cæteris effectibus, cauſæ faciliter ſunt notæ. Vt quia ebrius, quia piger, quia guloſus, quia luxurioſus, quia de equo cecidit, vel ſimilia, eſto quòd non ſit in cælo cõſtellatio. Non eſt igitur conſtellatio cauſa. Amplius ſi Sortes ſit mortis ſuæ cauſa, quia ſcilicet Aries fuit aſcendens, Aſtrologi non dicunt, in hora qua Sortes ſe occidet, quòd tunc cauſa ſit in cælo, ſed in natiuitate fuit: & tunc oportet dicere aliquã in Sorte qualitatem à cęlo generatam, quæ ita materiam Sortis & ſuas qualitates diſponat, quòd pro tali hora occidet ſe. Quod ſi ita eſt, quomodo qualitas illa non remouetur remota diſpoſitione cæli, ſicut lux remouetur ad remotionem lucidi? aut quomodo nõ mutatur ad mutationem ſubiecti, quod tam multipliciter mutatur à tempore primæ conceptionis ſpermaticæ, vſque ad virilem & ſenilem ætatem forte, in qua occidet ſe? Conſyderanti attentius, truſa videtur de hac qualitate. Ex his duabus tertiam infert concluſionem: iudicia aſtrologię vt in pluribus ſunt ſine ratione & falſa, niſi à caſu contingant, & hoc de particularibus iudicijs. Ita per figuram cæli in hora introitus Solis in Arietem, diſpoſitio anni futuri nõ poteſt præſciri: nec per coniunctionem planetarum, nec per natiuitatis figuram, quid accidat nato poteſt ſciri: neque per figuram cæli hora interrogationis,

quæſtio poteſt ſciri, neq; per figuram cæli tempore inceptionis operis poteſt eius euentus ſciri. Patet ſecundũ præmiſſa; quoniã iſte doctor omnes influentias cæli videtur negare, & regulas Aſtrologorum particulares. puto tamen modificandum eum ſecundum ſequentia: Notandum igitur aſtrologiæ ſcientiam nobilem ab olim fuiſſe in politia Chriſtiana vituperatam, & vehementer reprobatam, propter triplicem quo frequenter aſtrologię dediti inficiuntur errorem. Primus eſt eorum, qui omnia fatali neceſſitate euenire præſumunt. Secundus eſt eorũ, qui magicè phantaſticas deluſiones aſtrologicis dogmatis immiſcuerunt. Tertius eſt eorũ, qui aſtrologiæ metas tranſcendentes ſub regulis aſtrologicis liberum arbitrium, & ea quæ purè ſupernaturalia ſunt, & ex pura dei voluntate procedunt, & ſola fide credũtur, comprehendere & coartare voluerunt. Addo autem ego errori ſecundo, quoniam alumni Aſtrologiæ facillimo lapſu declinant ad artes nephandas necromantiæ, pyromantiæ, geomantiæ, vel auguriorum, & vix à talibus inquinationibus ſe temperant. & ab hoc errore fallaciam imaginum deſcendiſſe crediderim, quas ſub pallio aſtrorum velant, cum ſit purè ſuperſtitio ſortilega, ab omni vera aſtrologia execranda. Hæc inquam ſunt quæ aſtrologiæ decus vituperant. attento ꝙ diuinatores vocantur, qui per

aſtra de futuris prædicere ſtudent, ſupra q̃ ſint vires ſcientiæ aſtrologiæ,& vana ſeducti curioſitate præſumunt plus q̃ expediat. Huiuſmodi igitur Aſtrologi ſtulti ſunt & vecordes,nec vlla vnq̃ oratione ſuffi cienter deteſtandi,& per Eccleſiam & Eccleſiaſticos doctores cōdēnati:ſæpe enim experimur,aſtrologię vacantes q̃ indeuoti ſunt ad fidē,& catholici groſſi, terrena quærunt,diuitijs inhiant, honoribus tumēt indiſcreti & imprudentes, & mali ſunt philoſophi naturales:imò dum ſemper recurrunt ad cælum,audire nunq̃ volunt vnā cauſam naturalē,nec cū naturaliter & ſciētificè loquētibus cōferre,ſed cū idiotis & eorū verſutias redarguere non valentibus omnis conuerſatio illorum. Duplices in reſponſionibus & ambigui,ne falſitatis cōuincātur,rumoribus intēti, & per omnia deceptiui. Contra hos præcipuè eſt omnis cura iſtius doctoris,& etiam doctorum ſancto rum,quoniam ſe præſcire futura mentiuntur,quod eſt ſolius dei. Sed tanta eſt humanæ fragilitatis auiditas ad futura præcognoſcendum,vt hi deceptores turbam ſtultorum inceſſanter habeāt,quos progno ſticationibus ſuis irretiant. Nos autem non omnino prognoſticationes condemnamus,ſed quæ modum ſcientiæ & rationis excedant: ita vt dicta vel iudicia aſtrologorum ſint intelligenda ſecundum inclinationem & diſpoſitionem quandam contingentem,

non ſecundum abſolutam neceſſitatem. Albertus in 3 cap. 2. de Mineralibus allegat Ptolemæum dicentem in libro Arlabe, id eſt quadripartiti: effectus ſunt diuerſi ſtellarum & incerti, pro quanto eorum influxus in inferioribus peruenit ad ea per aliud & per accidens: per aliud quidem, per virtutes elementares quas informant: per accidẽs verò, quia per eſſe vniuerſale, quod eſt eſſe confuſum incertarúmque diſpoſitionum, eo quòd materia aliquando eſt receptibilis virtutis cæleſtis, aliquando nequaq̃: quandoque parum, & aliquando multum: & hoc ignorantes multi diuinantes in aſtris ſæpe mentiuntur. Ariſtot. lib. 2. de animalibus aſſerit, quòd magis poſſimus de animalibus & arboribus dicere, q̃ de cæleſtibus. Pauca quippe accidentia, & valde pauca de cæleſtibus ſunt nobis manifeſta. Quod de eis comprehendimus, eſt eorum quãtitas & motus: naturas autem eorum ſolum per effectus coniecturamus, & hoc modicum. Adhuc autem, cũ octaua ſphæra in centum annis vno gradu moueatur, cõſtat quoniã ſecundum hoc ſitus ſtellarum fixarum, & figuræ ſeu imagines octauæ ſphæræ variantur & mutantur. vt ſtella quæ fuit in primo gradu Arietis ante centum annos, iam ſit in 2. Conſidera per annos 1500 ab incarnatione Chriſti, vel quaſi, quoniam ſigna per gradus ſunt mutata. Quo fit, vt omnes regulæ aſtrolo-

gorum quæ tunc ſunt ſcriptæ, ſint ſuſpectæ, & opus habuerunt correctione: & noua experientia opus eſt, quando ſigna immutata ſunt, & iam ſub alijs ſtellis ſunt, & ſic mutata eſt virtus influentiæ eorum. ſic enim nouæ adueniunt coniunctiones, & diſpoſitiones cæli nunquàm aliàs expertæ. Ex his eli cimus, ſi effectus aſtrorum ſunt varij & incerti, vniuerſales & confuſi, & incertarum diſpoſitionum, nõ poſſunt præſciri niſi coniecturali & modica quadã notitia vniuerſali & cõfuſa, nequaquam certa & diſtincta: & qui hanc præſumit, ipſe ſe ſeducit & alios. Vniuerſalem autem dixi notitiam, non quia non ad particularia quædam deſcendat, ſed quòd & particularia diſtinctè cognoſcere non poteſt, ſed confuſè & incertè. & quanto plus ſe aſtrologus particulariſat, tanto facilius ad errandum appropinquat. Ego quidem in ſcientiæ huius aſtrologicę ſecretis nunquàm meipſum occupare paſſus ſũ, propterea oculis quodammodo clauſis de huiuſmodi diſputare tento, ſequens quidem aliorum communẽ conſenſum, ſecũdum ea quæ mihi rationabilis inueſtigatio ſuggerit, & iuxta prætacta inquirẽdum paro, ſi influentiæ ſint in cælo: ſi cognitio earum, & quouſque poſſibilis eſt homini: tertio, ſi iam communicata eſt his qui ſtudioſius his inueſtigãdis vacauerunt, ita ſcilicet quòd regulæ & doctrinæ per ipſos inſcriptę aliquid conti-

neant veritatis. Quamuis autem in præcedentibus capitulis Nicolaũ Oresme præcise quasi sum secu= tus, solum verbis meis compendiose explicans quæ scripsit diffusius: in hac de influentijs materia nõ ita præcise concordo cum eo, vt patet. Quo ad primũ, constat cælum esse causam primam inter corpora, & causam vniuersalem omnium quæ inferius fiunt, tam in naturalibus quàm in voluntarijs, vnde sol & homo generant hominem. sic & omnis substantia corporalis, omnis eius qualitas prima vel secunda, simplex aut composita, omnis proprietas, omnis vir tus, siue in elementis siue in elementatis, est à cælo tanquàm à causa prima & principali. quoniam causa prima plus influit, q̃ causa secunda, & cum effectus gerat similitudinẽ suæ causæ (nã simile à simili pro= dit, secundum philosophũ 9. Metaphy.) consequens est omnium inferiorum esse in cælo similitudines: non quidem sicut in causa vniuoca similitudo secun dum speciem, sed sicut causa ęquiuoca effectum con tinens eminet: vnde & Philosophus ait, quoniam ne cesse est hunc mundum inferiorẽ superioribus latio nibus esse cõtinuũ, vt eorum omnis inde virtus gu= bernetur, tanquàm cælum sit non solum causa pro= ductiua, sed & conseruatiua & directiua. Sed an agat omnia per motum & lucẽ solum, vt nulla sit in eo ponenda alia influentia actiua, motus de se & for

maliter dat ſubiectum moueri, lux dat lucere & ni=
hil amplus. Nam mouere, vel cauſare, vel illumina=
re, & illuminando aliquid producere, per ſuperaddi
tas contingit potentias: ita quòd cælum quia moue
tur aut lucet, non agit niſi per ſuperadditam poten=
tiam actiuam, etſi per potentiã diuinam à cælo om=
nis auferretur actiua influentia & potentia conſer=
uatis motu & luce, cælum moueretur & luceret: ni=
hil tamẽ moueret vel illuminaret aut cauſaret. Sed
quærunt, in cælo an tot ſint ponẽdæ potentiæ, quot
effectus poteſt cauſare, an vnica ſola ſatis ſit ad om=
nes. Hæc autem difficultas grauis videtur commu=
niter potentiam eſſe aliquod eius ponentibus. Nos
autem dicimus, quoniam proprie potentia nihil eſt
niſi quòd aliquid poteſt. conſtat autem quoniã poſ=
ſe producere hominem, non eſt poſſe producere iu=
mentum. vnde quando concedimus quoniam ſol &
homo generant hominẽ, ergo eſt in ſole & cælo po=
tentia productiua hominis, & ſimiliter potentia pro
ductiua equi, vel cæterorum inferiorũ: nõ propterea
dicimus in cælo multas potẽtias, ſed quòd plura po
teſt. Ita quòd non in cælo ponimus tantã multitudi
nem entium, ſed quòd cælum multa poteſt. Nec mi
rabitur cælum tam multa poſſe, quiſquis attẽte mi=
rabitur ſtupendã cęli & quæ exterminari non queat
magnitudinem, & motus eius, imò raptus inexcogi

tabilem celeritatem, cum ad cæli comparationẽ pũ=ctum ſit exiguum tota ſphæra actiuorum & paſſi=uorum. cum enim experiamur, qualiter agens quan to nobilioris eſt naturę, tanto eſt in agẽdo potẽtior, & actiones habet nobiliores. cæleſtis ergo dignitas cum in nobilitate eſſentiæ prȩcellat, omnia hęc cor=ruptibilia incomparabiliter (ſicut centrum circũfe=rentia) præcellit & incõparabiliter in efficacia & ma gnitudine poteſtatis, vel actiuitatis. Potentia autem influxiua non ſolam lucem ſequitur, ſed ſequitur po ſitionis ſeu ſitus diuerſitatem, vel varias coniunctio nes aſtrorum varióſq; aſpectus, ſecundum quæ po=tentia variatur. non quòd in cælis propterea conclu dere compellamur mutationem ſecundũ abſolutas perfectiones, ſed reſpectiue ſolum, & ad effectuũ cõ=parationem. Ponimus igitur in cælo influentias ſeu potentias actiuas, quæ lucem & motum ſequuntur, non quæ ſunt lux & motus: ponimus & eas cauſas quæ coniunctiones & aſpectus varios vel ſitus diſtin ctos ſequuntur. Neq; Nicolao Oreſme aſſentimus contrariũ aſſerere conanti, rationibus multiplicatis, quas aliquatenus conſiderare oportet, prius tamẽ lo quamur de ſecundo vel tertio propoſito, & ſic com muniter obiecta diſſoluemus. Sanè quidem dicitur, quoniã à ſimplici non niſi ſimplex procedit, ab vno non niſi vnum, & idem inquantum idem ſemper fa=

cit idem, cum tamen videamus quoniam lux illuminat & calefacit, & ſol (qui eſt vnus) multa producit, dicimus quoniam lux (vt ſupra eſt notatũ) ſolũ dat eſſe lucidum. ſed quod eſt lucidũ, quoniam lucẽ ſequitur potentia illuminatiua & calefactiua, poteſt illuminare & calefacere, ſed per diuerſas potentias. Non enim dicimus qualitatem, eſſe potentiam actiuam: vt calor non eſt potentia calefactiua, ſed potẽtia conſequitur calorem: ſic nec lux eſt potẽtia illuminatiua aut calefactiua, ſed hę potentiæ lucem cõſequũtur: non quidem eſſentialiter, quoniam poteſt eſſe lux ſine illis: ſed naturaliter, & ſecundum naturalem curſum. Sic cogita de illis potẽtijs quæ in ſole ſũt nõ eſſentialiter, ſed cõſecutiuè naturaliter. Et ſecundum hoc potes capere, quomodo ab vno non procedit niſi vnum mediante vna potentia. Nam ſi plura ab vno ſunt, hoc eſt mediantibus pluribus potentijs, eo quòd ab vna pòtentia, ſolum quod potentiæ eſt procedit: à potentia ſcilicet illuminatiua lumen, à potentia calefactiua calor. quare ſi ſol illuminat & calefacit, hoc eſt duplici potẽtia mediãte. Quãtum igitur ad ſecundũ, ſcilicet an cognitio ſit homini poſſibilis huiuſmodi influentiarũ, ex his quæ ſuperius allegata ſunt videtur ſatiſfactũ, quoniã aliqua tenuis coniectura quantũ ex effectibus fas eſt cõcludere hominibus conceditur, incerta tamen plurimũ

& vniuersalis, quia obscura, ad cõparationẽ ei9 quod in re est, & nihilominus secundũ Philosophũ illud quod exiguũ & tentando potius q̃ asserẽdo de subli mi dignitate cęlestũ naturarum attingimus, dignius est, & optatius multa scientia quam de inferioribus habemus: præsertim quòd ex paucis principijs quæ de cęlorũ naturis, post multas instãtias acquirere fas est viuacitas ingenij (quæ mirabilis est dum studiosè excolitur) ad penetrandũ mirabilia subleuatur. Ad tertiũ quoq; consequẽter ad præmissa respõdemus, veritatẽ quidẽ esse in traditionibus artificiosis astro logorũ, licet obscuram vniuersalẽ & incertã: propter quod in vniuersali & obscura vel ambigua sentẽtia iudicatur solũ, cũ distincte & clare capi nõ nisi rarissi me aut omnino nõ possit, si nõ causa, qualiter quod iudicatũ est opere cõpleatur: ita vt experiẽtia quidẽ doceat, quoniã nõ omnino iudicium dissonat ab ef- fectu, lõge tamẽ vt plurimũ est effectus qualitas ab eo quod sibi imaginatio iudicantis fabricabat. Mo- ueor autẽ consentire in astrologia peritis, quòd vni- cuiq; in sua scientia credendum est, exceptis his quæ manifestus error accusat. Nã vbi intẽderis ĩgeniũ, va let: quare fit verisimile, post tã longa tẽpora ab inge niosis tã multis, qui studiose circa inuestiganda cęle- stia secreta vacauerunt, aliquid quod sapiat veritatẽ adinuentũ, quantũ sanè fas est humanę capacitati ad

hæc penetrare, absq; temeritatis præsũptione. Quod Seneca ita notauit. Aristoteles ait nunq̃ nos verecũdiores esse debere, q̃ cũ de his agimus. & si in õne argumentum modestia fungimur, quanto magis hoc facere debemus, cum de syderibus, de deorũ natura, & stellis disputamus: ne quid temere, aut imprudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur? Nec miremur in eis tam tarde erudiri, quæ tam alte iacent. & item, Quis enim stellis limites ponit? Quis in angustum diuina compellit? hoc post tantum virum recitaui libens, vt & audaciam superbam in huiusmodi tractatibus reprimerem, & calũniæ responderem. Obijcitur enim, quòd ea quæ per astrologos traduntur, de distinctione cæli, per partes, per signa, gradus, & minuta: planetarum, per bonitatem & malitiam: graduum, per hoc quòd quidã lucidi, quidam vmbrosi: signorum, per calidum & frigidum, per masculinum & fœmininum, & cætera satis talia, ratione nulla sufficienter fulciuntur: vt putentur magis fictiones poëticæ q̃ traditiones Philosopho dignæ. Sed non est mirandũ, si ad cognoscendas rationes cælestiũ nõ attingimus: de quibus quando cõuincere non possimus propter quid est vnumquodq;: satis sit nostræ infirmitati, vel scire quia ita est, & ad hoc cõgruentias aliquas assignare. Sic enim nedum in iudicatiua astrologia, sed etiam in ea quæ

de motibus cælorum disputat, inuenimus viros peritos fecisse, qui ad saluandum motuũ diuersitatem & irregularitatem quã experientia testabantur, eccẽtricorum & epicyclorũ subtilitatẽ machinati sunt. Quis tamen in cælo eos esse realiter audet asserere? sufficit autẽ nostræ ignorãtiæ, si p huius inuentionis traditionẽ, errores in cælo apparẽtes corrigimus. Pariformiter est putandũ de tã multis subtiliationibus in arte iudicatiua designatis, nõ quasi veraciter hæc cælo asserebamus, sed de occultis & à sensu nostro semotis, tali ingenio docti viri syllogisauerunt, & ad aliqualiter cognoscẽdum quia est, de effectibus cæli profecerunt. Propter instantias multas, quæ adducũtur cõtra prędicta (vt eis satisfiat) pficit quod tetigimus, quoniã influentiæ cęlestes diuersimodè recipiũtur inferius, vel etiã frustrãtur, secundũ dispositionẽ passorũ, prout supra ex autoritate Ptolemæi introductũ est, propterea incerta & varia eorũ efficacia, & multo magis notitia illarũ est. vt plurimũ nihilominus effectũ habẽt, si nõ in toto saltẽ in parte. propter quod etiam sicut imprudens est & temerarius astrologus, iudicia sua de futuris secundum figuram cæli caute & prudenter non modificans: ita quoq; imprudentẽ dicimus & stultũ, si quis supra quàm expediat iudicijs astrorum deditus, ea quæ secundum causas inferiores ratio suadet agenda omittat. quoniam

ſunt nobis cauſæ inferiores ſuperioribus certiores, & tardius impediuntur, tanq̃ quæ immediatius effectum conſeruant, & ſecundum quas certius & clarius cõuinci valeat effectuum diuerſa ratio vel qualitas. Quòd obijcit, quoniam manente cælo & luce, ſi deus omnem à cælo aliam virtutem influxiuam ſubtraheret, adhuc Sol illuminaret, & cætera perficeret quę ad illuminationem ſequuntur: ſatis oſtendimus quoniam hypotheſi ſtante, Sol quidem luceret, ſed non illuminaret, niſi cum luce virtutem illuminandi haberet: qua data neque ſic illuminans aliquid produceret, ſi virtutes omnes productiuas & influxiuas ſubtraxeris. Amplius tractemus, ſi cælum quieſceret, an cæteri motus ceſſarent? ſecundum ꝙ philoſophus videtur ſentire: cui obuiat articulus Pariſi. ita dicens, Si cælum quieſceret, ignis ſtupam non combureret, error. veruntamen ſi grande miraculum penſemus motum cæli, q̃ ſit ſupra omnẽ exiſtimationem humanam, quòd ab ipſo dependeat omnis hic inferior motus, nõ ſolum in fieri ſed etiam in conſeruari, facile condeſcendemus: ita ſcilicet ꝙ potentia omnis actiua inferior ab ipſo dependet. nõ quòd cælum moueri ſit poſſe agere, ſed quòd illud omnino conſequatur, ſicut poſſe calefacere conſequitur caliditatem. Igitur ſecundum hoc cęlo quieſcente, omnis potentia actiua ceſſabit. Quòd ſi con-

ſeruare non ſit aliud q̃ cõtinue agere, cælo quieſcẽte ſicut nihil hic inferius poterit agere, ſic nec in eſſe cõ ſeruare, omnia igitur inferiora corrũperentur: non dico in nihilum conuertentur, ſed ad ea redigentur quæ actioni inferiorum non ſubiacent, ſed ſolius dei cõſeruãtis. Non obſtat articulus adductus mihi, qui ſub epiſcopo Pariſi. nõ ſum. Saluo tamen eum, quia non eſt conſequentia formalis, cælum quieſcit ergo ignis non comburit. quoniam etſi naturaliter ſequatur, deus tamen poteſt igni conferre vt comburat ſupernaturaliter cælo quieſcente. Quòd ſi dicas quoniam cælo quieſcente ſol luceret, & ita calefaceret, & produceret aliquid: Sol quidem luceret, ſed non calefaceret, imò nec aërem illuminaret forſan. quoniam cæli motus eſt primus, & cauſa omniũ aliorum: Cauſa autem remota, remouetur effectus. Motus autem cęli eſt omnium aliorum qui ſunt inferius motuum cauſa efficiens, & conſeruans, iuxta dicta. Diſcurramus ordinatè ſuperius inductas obiectiones. Ad primam dicentes, quod ſæpe dictum eſt, quoniam moueri & lucere non ſunt hæc inferiora producere, præter hæc igitur in cælo ponendæ ſunt virtutes productiuæ ſeu influxiuæ, licet eas cõſequi motum & lucem fateamur. Ad ſecundam de infinitate influentiarum reſponſum eſt, quoniam infinitæ influentiæ quaſi infinita entia in cælo non ſunt, ſed

cælum poteſt infinita vel actu vel ſucceſſiue. Ad tertiam, concedimus q inducit diuerſitatem hic inferius habere cauſas immediatas, ſed ſuperiores & cæleſtes (quæ primæ ſunt & potiores) licet occultiores quo ad nos non excludũt. Quarta quòd aliunde quàm à Saturno quandoque frigus cauſetur cõcludit. Sed in caſu poſito, Saturnum à cauſalitate non excludit. Quinta cõcludit quod ſupra notatum eſt, virtutes influxiuas non à ſola luce procedere, ſed ex ſitu, vel aſpectu, vel loco contingere ſyderibus. Ad ſextam ſicut ad tertiam, concedimus effectuum eſſe cauſas inferiores & immediatas, quæ nequaquam ſuperiores excludãt. Septima difficultat de qualitate per cęlum influxa, quomodo durare poteſt, ſed eadẽ eſt difficultatis ratio de qualitatibus, quas à principio conceptionis ſecundum modum complexionis in quolibet cauſari nemo neſcit. In huiuſmodi igitur quia ita eſt cognoſcimus, cauſam autẽ propter quid perdurat tam immobiliter facilius miramur quàm penetramus. Sed occaſione habita de iſta influentia cæli, quæ videtur eſſe quædam qualitas à cælo cauſata, cùm ſit alia quam cauſat agens proximum, ergo duę qualitates eiuſdem rationis. Solutio vt ſuprà tactum eſt, influentia idem eſt quod actio. Actio autem quandoque ponitur pro re acta, ſeu pro effectu per actionem prodeunte, & ſimiliter influentia pro

qualitate per influentiam procedente. Nec tamen duæ qualitates, ſed vna, à cælo quæ eſt cauſa vniuerſalis & à cauſa particulari producta. Sunt enim cauſæ inuicem ſubordinatæ reſpectu eiuſdem effectus & cauſæ effectiuę. Sed quomodo poſſunt cõcurrere, quin ſit vna ſuperflüa? Si enim cauſa particularis ad producendum ſufficiens eſt, quid confert cauſa vniuerſalis? Si enim Sol non eſſet, quare ignis ſtupam non combureret, aut quid ad combuſtionem cõfert Sol igni? Sed iuxta modo notata omnis potentia actiua particularis ab vniuerſali cauſalitate cæli dependet, vnde & intimius penetrat virtus cæli, quàm agentis proximi: quoniam plus influit cauſa prima, quàm ſecunda. Et quanuis cælum coagat agẽti proximo, vt ſimul in effectum qualitatem aliquam & proprietatem inducant: nihilominus à cælo ſpecialiter influitur aliquid nobilius, ad quod virtus particularis non attingit. Cælum etiam ceſſante actione particularis agentis, effectum in eſſe conſeruat, alioquin abſque cõſeruante corrumperetur. Sed obſtare plurimum apparet (quoniam cęleſtis influentia non eſt cauſa immediata, cõſtat, ſed mediata) quomodo mouet, an neceſſario vel cõtingenter: vtpote ſi Sortes ex conſtellationis ratione, magnus eſt futurus: quis ad hoc media procurabit, an à cælo mouetur, vt ſtudeat & laboret, an ab arbitrio libero? Dicimus

actionis intellectualis vel voluntariæ, imò nec sensualis nullam propriè esse causam actiuam: quoniam actionis non est actio, sed intellectus intelligit, voluntas eligit, sensus videt: nec est quærere quid hoc prçter illa facit, sed quid ad hoc mouet. Est enim horum causa motiua, sed differenter, quoniam intellectus vel sensus naturaliter ab obiecto mouentur, sicut obiectum naturaliter mouet: sed in voluntate est libertas eligendi vel refutādi, etiam obiecto naturaliter mouente. Mouet autem obiectum non solum realiter existens in præsentia, sed etiā per speciem in fantasia, vel secundum corporis dispositionem. Videmus enim cholericū ex complexione frequenter cogitare de vindicta, philocaptum de luxuria, famelicum de alimento. Ex quo aduerti valet aliquali ratione, qualiter ab influentia cæli quis secūdum exigentiam eius ad diuersa cogitanda & appetenda incitetur. ita vt sunt agitationes huiusmodi vel affectiones ab intellectu aut voluntate operatiuè, à cælo autem motiuè seu dispositiuè. Sed an cælū moueat necessario vel contingenter? Certum est operationes nostras esse liberas & contingentes, quasi qui faciendi vel non faciendi facultatem habemus. nihil enim ad volendū necessitat nos, esto ꝙ cogitationes secūdū diuersitatē passionū vel inclinationū occultarū frequēter toleremus inuiti, quas superare

difficile eſt. Imò rari ſunt, in quibus tanta vigeat ratio, vt inclinationibus huiuſmodi non ſuccumbant. Et inde eſt influentiarum cæli frequentior efficacia. Haly, Alkyndus, & quidam Aſtrologorũ, defendere volunt effectus inferiores, licet quantum ad cauſas proximas & particulares ſint contingentes, neceſſario tamen eueniunt reſpectu cæli & ſuperiorum cauſarũ. Quod forte poſſet tolerari, ea ratione qua prouidentiam dei neceſſariam eſſe putamus. vt quoniã cælum eſt vniuerſalis cauſa, & inſtrumẽtum diuinæ prouidentiæ, quo mediante in his inferioribus operatur. omnia enim agit per medium cælũ, præter ea quæ creando producit. Vnde & ſupra dictũ eſt, cælũ eſſe aliquo modo cauſam omniũ effectuum hic inferius tam naturalium quàm voluntariorum. & de naturalibus conſtat: de voluntarijs autem patet, quoniam voluntas non exit in actum abſque intellectu, nihil autem intelligimus ſine phãtaſmate, quod eſt virtus corporalis cælo in ſuis omnibus operationibus ſubordinata. Secundum hanc ergo rationem cælum diceretur cauſa naturalis quidem, ſed vniuerſalis & neceſſaria, tanq̃ diuinæ prouidẽtię incõuulſibiliter annexa, ſalua tamen contingẽtia rerũ inferiorũ. Recipitur enim in effectibus ſicut & prouidentia ſecundũ contingentem, & quę poteſt non eſſe, naturã ipſorũ. Vel magis præciſe loquendo, cælũ forte non

est causa naturalis aut voluntaria, sed causa vniuersalis:ita ꝙ causa efficiens diuiditur, quoniã quædã est vniuersalis, quædã particularis. At particularis diuiditur, quoniã quædã est naturalis, quædã voluntaria seu libera. Cælum autẽ est super vtrasque salua proprietate vtriusq;. Ad præmissa facit ꝙ fatum dicitur esse immobile, quod tamẽ præcipuè causalitatẽ cæli respicit. Est enim series causarũ secundarũ ad executionẽ diuinę potẽtię ordinatarũ:inter quas pręcipua & superior, est cælum & influentia cælestis. quę consequẽter immobilis dicetur & necessaria, sed per prouidentiæ respectũ. Sed dubiũ est de cælo, qua ratione causa vniuersalis esse potest, respectu scilicet animatorum si anima caret, vel respectu rationabilium si intelligẽs non est. Nota quosdam astruere audere muscã, quæ vitam & sensum habet, esse cælo præstãtiorem, quasi inanimato & insensibili. Sed hoc satis ridendum videtur. Et pro motiuo eorum dissoluendo apparet, quoniã non iuxta grossam & exemplarẽ Porphyrij traditionem, animatum & inanimatum corpus immediate diuidunt, sed corpus corruptibile vel subcæleste. Ita quòd corpus primo diuiditur per corruptibile, & incorruptibile: corruptibile autem subdiuiditur in animatum, & inanimatũ. Cęlũ igitur proprie animatũ vel inanimatũ nõ est, nisi æquiuoce de animato loquamur. Sed est differẽtiam habẽs vel

formã nobiliorẽ:licet ipſum formã eſſe ſine materia, & non formã habere velit cõmentator:ſic nec rationale eſt,nec irrationale: ſed melius aliquid & dignius,tanq̃ corpus nobiliſſimũ omne corpus trãſcẽdẽs, ergo & hominẽ:eſt enim hõ corpus. Non dico cælũ excedere hominis corpus,ſed hominẽ corpus,& cõſequẽter animã hominis:homo enĩ animã ſuã(ſicut totũ partẽ)antecellit. Amplius autẽ hoc clarum eſſe poſſet ſecundũ poſitionẽ Alexãdri,qui cõtra cõmẽtatorẽ putauit animã humanã,eſſe formã materialẽ corpori inhærentẽ,extẽſam generabilẽ & corruptibilẽ.cuius opinio ſecũdũ peritos probabilior eſt,circunſcripta fide,vnde & videri poſſet rationi naturali conformior,imò & Euangelio,atq; Apoſtolicæ doctrinæ.quod facile forſan eſſet deducere,niſi ꝙ ad cõtrariũ eſt cõmunis ſenſus. Attamẽ ſi cęlorũ inęſtimabilẽ pẽſemus quãtitatẽ,ſi motũ eius, imò nõ motũ, ſed raptũ ſuper omnẽ cogitationẽ impetuoſiſſimũ, cõſequẽs fit,vt ſit inęſtimabilis eius dignitas & virtutis efficacia:ita vt ſicut hæc oĩa elemẽta vel elemẽtata ad quãtitatẽ cęli,ſunt veluti pũctum:ſic omnis eorũ nobilitas,omnis actiuitas eſt velut pũctualis,& quaſi nihil ad excellentiã cæli. Nõ feſtinemus ergo diſputare ſi cælũ eſt animatũ,ſi viuẽs,ſi intelligens, qui cæleſtiũ quidditatẽ, tanq̃ ſuper nos ineffabiliter eminentem,penetrare non poſſumus.Satis eſt nobis

confiteri (quod nemo ignorat) quia cælestis dignitas sine proportione excedit quælibet terrena: vt nõ de cælo, secundum ea quæ hic inferius apprehendimus, rationem coartare velimus. Sed nunquid à cælo & cæli influẽtia procedit bona vel mala fortuna? Certum quidem est, & hoc astrologos secundũ constellationis qualitatem diiudicare, sed an debitè hoc possint, Oresme omnino reprobat, Thomas putat. quoniã inuentionis thesauri præter spem fodiendo, nulla est per se causa, cũ sit ens per accidẽs, ergo nec cælũ hoc causat, & consequenter vana est circa hoc astrologorum inquisitio: cum tamen hoc propriè sit fortuna, effectus scilicet contingens sine ratione vel proposito. Possumus tamẽ & ita accipere hominem fortunatum, cui in suis agendis cõmuniter bene succedit: quoniam si militaris est, vincit frequentius: si curialis, gratiam habet ad omnes: si mercator est, lucrum inde reportat vt plurimum. Hoc modo de fortuna loquendo, licet mirum videatur, quia latet causa cur isti sic vt in pluribus bene accidit, illi male vt in pluribus, cum non appareat. Ille plus illo sapientior, vel magis sollicitus, aut magis iustus, sed plerũque multominus iustus, prudens, aut diligens: asscribitur à vulgo talis euẽtus fortunæ cæcos oculos habenti, quasi bona tribuat immeritis, & benemeritos derelinquat. Sed si profundè cõsideretur ratio taliũ

euentuum inuenitur cõgrua & differens. Sunt enim dationes gratiarum. Hic enim in loquendo gratiam habet, vt ſermones proferat qui placeant, hic ſolo delectat aſpectu & geſtu, hic viget diſcretione, hic manibus optime operatur, videas hũc in lubrica via pedem caute dirigere, in periculo imminenti quod melius eſt promptè inſtinctu quodam naturalis induſtriæ eligere, in opere faciendo media oportuna inuenire, & conſequenter: non eſt mirandum ſi ſit vnus alio fœlicior, aut melius in ſuis agilibus fortunatus. Hęc autem omnia ex influxu occulto conſtellationis, & pro qualitate bene diſpoſitæ complexionis accidunt. Sed an plus à conſtellatione quàm à cõplexione, vel è conuerſo. Prima quidem cauſa plus influit quàm ſecunda, & cælum quàm elementa: cauſa tamen proxima notior eſt, & magis in promptu patet. Inſtant autem aduerſus hæc, quoniam cauſa prima nimis eſt incerta, cum ſecundum varietatem infinitam ſecundarum cauſarum varietur, vt nihil certum poſſis elicere pro infinita varietate. Forte tamen poſſumus aſtrologorum ſtudia confortare dicentes, quòd etſi cælum agat diuerſimodè ſecũdum diuerſitatem paſſorum: agit tamen idem vt in pluribus, licet ipſum idem diuerſimodè contingat variari. Ecce enim agit hominẽ in materia diſpoſita, ſed varijs modis, agit equum, agit plantam, agit aurum:

nunc perfecte, nunc imperfecte. Sic disponit ad sapiẽtiã, disponit ad iracundiã, disponit ad melancholiã, sed pro diuersitate passorũ nũc magis nunc minus: ita vt sit à cęlo principalis & prima occasio, sed à causis secundis elemẽtaribus qualitatis intensio vel remissio, vel cætera quæ circunstant fiunt à constellatione: sed sic vel sic, fiunt à complexione. Nec tamẽ negamus, quin quãdoq; omnino effectus frustretur cæli, propter contrariam materiæ dispositionem: sicut quandoq; generationem hominis contingit impediri. Ex quo patet, qua cautela astrologorum debeat temperari iudicium, nã quandoq; omnino falluntur, & nihil eorum quæ putant accidit. Sed neq; multum descendant ad particularia: nam etsi vtcunque de substantia possint facti coniecturam accipere, sed nunquàm de modo faciendi: hoc enim ex diuersa dispositione passorũ dependet, quod cadere nõ potest sub humana ęstimatione. Vnde recitat Thomas in summa contra gentiles, li.3.cap.84, ex Ptolemæo in centiloquio, diffinire non posse astrologum iudicia secundum stellas, nisi vim animæ & complexionem bene cognouerit: & quòd nequaquam expedit astrologũ rem explicare particulariter, sed vniuersaliter. Aristoteles quidem laudare considerationem studiosam nititur astrorum, qualiter mouẽtur vel influunt in hæc inferiora, quia mundus infe-

rior ſecundum ea dirigatur, vnde & nobilis eſt conſideratio, licet eam aſſequamur tenuiter & obſcurè: & ideo conſequens fit vt iudicium noſtrum ſecundũ ea ſit exile & obſcurum, & vix vtile, niſi cum maxima cautela. propter quod decipiunt & decipiuntur vt plurimum his vacantes, tanquàm curioſi & vani, & qui quod ſupra ſe eſt vſurpant temerè, quod ſecundum prudentiam moralem ſibi competit negligentes. Antiqui enim philoſophantes vix tandem ſeſe aſtrologicæ ſublimitati commodabant, paſſionibus edomitis, moribus ornati, ingenio clariſſimi: in Philoſophia naturali & morali eruditi, prudentia callentes: qui per coniecturas congruas tam ex his quæ in aſtrorum conditione cognouerant, quàm ex metheoricis impreſſionibus, ex moribus hominum, & diſpoſitione inferiorum, multa poterant præuidere, & conſequenter proinde conſulere. Et talium vti conſilio Ariſtot. multum laudabat, nõ eorum qui communiter hodie aliquid ſe ſcire de aſtrologia mentiuntur, & omne ſtudium ad futura & occulta per aſtrorum rationem prognoſticãda ocioſè nimis impenderunt.

FINIS.



Fratris Rogerij Bachonis Anglici, De Mirabili potestate artis & naturæ, Libellus.



Estræ petitioni respondeo. Nã licet natura potens sit & mirabilis, tamen ars vtens natura pro instrumento potentior est virtute naturali, sicut videmus in multis. Quicquid autem est præter operationẽ naturæ vel artis, aut non est humanum, aut est fictum, & fraudibus occupatum. Nam sunt qui motu veloci, membrorũ apparentia, aut vocum diuersitate, aut instrumentorum subtilitate, aut tenebris, aut consensu, multa mortalibus proponunt miranda, quæ non habent existentiæ veritatem: his mũdus plenus est, sicut manifestum est. nã ioculatores multa manuum velocitate mentiuntur, & phytonissæ vocum varietate in ventre & gutture figmentis & ore formant voces humanas, à longè vel prope, ꝓut volunt, ac si spiritus tunc humanè loqueretur, etiã sonos brutorũ confingunt. Causę verò gramini subditæ, & in lateribus terræ conditæ, ostendunt quòd vis humana est, & non spiritus, quæ magno fingunt mendacio. Cum verò in tenebris crepusculi vel no-

ćturnis res inanimatæ mouentur velociter, non eſt veritas, ſed fraus & dolus: conſenſus verò omnia fingit quæ volunt homines, prout adinuicem diſponũtur. In his omnibus, nec phyſica ratio cõſiderat, nec ars, nec poteſtas naturæ tenet: propter hoc nequior eſt occupatio, quando homo contemnit leges Philoſophiæ, & contra omnem rationẽ ſpiritus inuocat nepharios, vt per eos ſuã compleat voluntatẽ. Et in hoc eſt error, quòd ſibi ſubijci credunt ſpiritus, & ꝙ ſpiritus cogantur humana voluntate: hoc enim impoſſibile eſt, quia vis humana lõge inferior eſt q̃ ſpirituum. Aut quia in hoc magis aberrant, quòd per aliquas res naturales quibus vtũtur, credunt vel aduocari vel figurari ſpiritus malignos. & adhuc errãt, quãdo per inuocationes, deprecationes, & ſacrificia nituntur eos homines placare, & adducere pro vtilitate hominũ: facilius enim ſine cõparatione à deo impetrandũ foret, vel à bonis ſpiritibus, quicquid homo debet vtile reputare. Sed nec in his inutilibus fauorabiles aſſiſtunt ſpiritus maligni, niſi inquãtum propter hominum peccata à deo permittitur, qui humanum genus regit & gubernat. & ideò iſtæ viæ ſunt præter ſapientiæ documenta, imò melius in cõtrariũ operantur, nec vnq̃ philoſophantes de his ſex modis curarũt. ¶ Quid verò de carminibus, & characteribus, & huiuſmodi ſit tenendum, cõſidero per

hunc modum. Nã procul dubio omnia huiuſmodi nunc temporis ſunt falſa & dubia:nam quædã ſunt irrationabilium quæ Philoſophi meminerunt operibus naturæ & artis, vt ſecreta occultarent ab indignis, ſicut ſi omnino eſſet ignotum quòd magnes traheret ferrum,& aliquis volens hoc opus perficere corã populo, faceret characteres, & carmina proferret,vt perficeretur attractionis vis:hoc totũ opus eſſet error.Sic igitur q̃plurima in libris Philoſophorũ occultãtur multis modis, in quibus ſapiẽs debet hanc habere prudentiam, vt carmina & characteres negligat,& opus naturę & artis probet.Et ſic animatas & inanimatas videbit ad naturã concurrere,propter naturæ cõformitatẽ,nõ propter virtutẽ carminis vel characteris.Et ſic multa ſecreta naturæ & artis exiſtimantur ab indoctis magica, & magi confidunt ſtulte carminibus & characteribus quòd eis præbeant virtutem, & pro aſſecutione eorum relinquunt opus naturęvel artis,propter errorẽ carminũ & characterũ.Et ſic vtrunq; genus hominũ iſtorum priuatur vtilitate ſapientiæ,ſua ſtultitia cogẽte. Sũt autẽ quædã deprecationes antiquitus inſtitutæ ab hominibus veritatis, aut magis à deo & angelis ordinatæ,& huiuſmodi virtutem ſuã primã poſſunt retinere.Sicut in multis regionibus adhuc quædã orationes fiunt ſuper ferrum candens, & ſuper aquam

fluminis,& similiter alia, in quibus innocentes probantur & rei dãnantur, & autoritate creduntur fieri prælatorum. Nam & ipsi sacerdotes exorcismos faciunt, sicut in aqua benedicta, sicut in lege veteri de aqua purgatorij legitur, qua probantur adulteria, vel fides suo viro, & multa sunt huiusmodi. Sed quę in libris magicorũ continentur, omnia sunt arcenda, quãuis aliquid veri contineãt, quia tot falsis abutuntur quòd non potest discerni inter verum & falsum. vnde quicũq; dicunt quòd Solomon cõposuit, & alij sapientes, negandũ est. quia nõ recipiuntur huiusmodi libri autoritate ecclesiæ, nec à sapientibus, sed à seductoribus qui nudã accipiunt literam, & ipsi nouos libros cõponũt, & nouas adinuentiones multiplicãt, sicut scimus per experientiã: & tunc vt vehementius homines alliciantur, præponunt titulos famosos suis operibus, & eos autoritatibus ascribunt impudẽter, ac vt nihil opinẽtur & cõtingẽtibus stilũ grandisonũ faciũt, & sub forma textus mẽdacia sua cõfingunt. Characteres verò aut sunt verba signis literarũ inuolutis cõpositi, cõtinentes sensũ orationis adinuentæ, vel sunt facti ad cultus stellarũ in tẽporibus electis. de characteribus igitur primo modo sit iudicãdũ, sicut de orationibus dictũ est: de sigillis autem & characteribus secundo modo, nisi fiãt tẽporibus suis, nullã efficaciam penitus habere noscuntur.

Et ideo qui facit ea ſicut in libris formantur, nõ re=ſpiciens niſi ſolam figuram quam fabricant ad exemplar, nihil facere ab omni ſapiente iudicatur. Qui autem in cõſtellationibus debitis opera faciunt ad vultus cælorum, illi non ſolum characteres, ſed omnia opera ſua poſſunt diſponere tam artis quàm naturæ ſecũdum cęli virtutem. Sed quia difficile eſt certitu=dinem cæleſtium percipere, ideo in his multus eſt error apud multos, & pauci ſunt qui aliquid vtiliter & veraciter ſcirent ordinare. Et propter hoc vulgus mathematicorum iudicantiũ & operantium per ſtellas magicas non multum excellunt, quanuis peritiſſimi, & artem ſufficienter habentes, poſſent multas vtilitates facere, & per opera tanquam per iudicia in temporibus electis. Conſyderandum tamẽ, quia pe=ritus medicus, & alter quicunque habet aliud exer=citari, carmina & characteres (licet fictos) vtiliter (ſecundum Conſtantinum medicum) poteſt adhi=bere, non quia ipſi characteres & carmina aliquid o=perentur, ſed vt deuotius & auidius recipiatur medi=cina, & animus patiẽtis excitetur, & cõfidat vlterius, & gaudeat. & anima excitata poteſt in corpore pro=prio multa renouare, ita vt de infirmitate in ſanita=tem conualeſcat ex gaudio & confidentia. Si ergo medicus ad magnificandum opus ſuum, vt patiens excitetur ad ſpem & confidentiam ſanitatis aliquid

huiuſmodi faciat, non propter fraudem, nec propter hoc vt confidat vt de ſe valens (ſi credimus medico Conſtantino) non eſt abominandum. Nam ipſe in epiſtola de his quæ ſuſpenduntur ad collum, ſic concedit ad collum carmina & characteres, & eos in hoc caſu defendit. Nam anima multũ poteſt ſuper corpus ſuum per ſuas effectiones fortes, vt docet Auicenna in lib. de anima, & 8. de animalibus, & omnes ſapientes concordant: & ideo fiunt coram infirmis ludi, & res delectabiles afferuntur. imò aliquando appetitui multa conceduntur contraria, quia vincit affectus & deſiderium animæ & ſpes ſupra morbum. Quoniam vero in nullo lędenda eſt veritas, oportet diligenter conſyderare, quòd omne agens facit virtutem, & ſpeciem affert in naturã extrinſecã, non ſolum ſubſtantiæ, ſed accidentia de 3 ſpecie qualitatis, & fiũt virtutes à rebus aliquæ ſenſibiles. Et ideo hoc poteſt facere virtutem, & ſpeciem extra ſe, maxime cum ſit nobilior alijs rebus corporalibus, & præcipue propter dignitatem animæ rationalis, & homines non ſolum exercent calore, ſed ſpiritus ab eo ſicut ab alijs animalibus excitantur. & nos videmus quòd aliqua animalia immutantur, & alterãt res ſibi obedientes, ſicut Baſiliſcus interficit ſolo viſu, lupus reddit raucum ſi prius videat hominem, & hyæna intra vmbram ſuam canem non permittit latrare,

ſicut Solinus de mirabilibus mundi narrat,& alij au thores.& Ariſtot. in lib de vegetabilibus dicit, palmarum fœminarum fructus matureſcere per odorẽ maſculorum,& equæ impręgnantur in aliquibus re gnis per odorem equorũ,vt Solinus narrat:& multa talia contingunt, per ſpecies & virtutes animalium & plantarum,multáq; mirabilia, ſicut Ariſtot. dicit in libro ſecretorum . Cum ergo plantæ & animalia non poſſint attingere dignitatem naturæ humanæ, nullo modo poterũt facere virtutes & ſpecies, & calores emittere ad alterationem corporum extra ſe. propter quod dicit Ariſtot. in De ſomno & vigilia, quòd mulier mẽſtruoſa ſi aſpexerit ſpeculum,inficit ipſum, & apparet in eo nubes ſanguinis. & Solinus narrat: In Scythia ſunt mulieres habentes geminas pupillas in oculo(vnde Ouidius,Nos quoq; pupilla duplex) quæ cum iraſcuntur , interficiunt homines ſolo viſu.Et nos ſcimus,quòd homo malæ complexionis,& habens infirmitatem contagioſam, vt lepram, vel morbum caducum, vel febrem acutã,vel oculos multum infirmos,vel huiuſmodi,quòd inficit alios pręſentes,& contaminat.& è contrario,homines bene complexionati & ſani, & maxime iuuenes,confortant alios,& homines gaudent ex eorum præſentia:& hoc eſt propter ſpiritus ſuaues,& vapo res ſalubres & delectabiles, & naturalem calorem

bonum, & propter ſpiritus & virtutes quæ fiunt ab eis, ſicut Galenus docet in techni. & hæc accidunt in malum, ſi anima ſit peccatis magnis & multis corrupta, habens corpus infirmum & malę complexionis, & ſimiliter cogitatio fortis, & deſiderium vehemens ad nocendum & malignandum. nam tunc natura complexionis & firmitatis cogitationibus animę & deſiderijs fortius agit. vnde leproſus qui ex deſiderio forti & cogitatione & ſolicitudine vehementi, intenderet alium præſentem inficere: & citius & fortius ipſum inficeret, quàm ſi non ad hoc cogitaret, nec deſideraret, nec intenderet. Natura enim (vt Auicenna docet locis prædictis) obedit cogitationibus & vehementibus deſiderijs animæ, imò nulla operatio hominis fit, niſi per hoc quòd naturalis virtus in membris obedit cogitationibus & deſiderijs animæ. Nam (ſicut Auicenna docet 3 Metaphy.) primum mouens eſt cogitatio, deinde deſiderium conformatum cogitationi, poſtea virtus animæ, in membris quæ obediunt deſiderio & cogitationi: & hoc eſt in malo (vt dictum) & in bono ſimiliter. vnde cum in homine inueniuntur hæc, bona complexio, & ſanitas corporis, & iuuentus, & pulchritudo, & elegantia membrorum, & anima munda à peccatis, & cogitatio fortis, & deſiderium vehemens ad aliquod opus: tūc quicquid fieri poteſt per ſpeciem,

& virtutem hominis, & ſpiritus, & calorem naturalem, neceſſe eſt quòd fortius & vehementius fiat, per huiuſmodi ſpiritus & vapores, & influentias, quàm ſi aliquod iſtorum deficeret: & præcipue ſi deſideriũ forte, & intentio valida non deſit. Et ideo per verba & opera hominis poſſunt aliqua magna fieri: quãdo omnes dictæ cauſæ concurrunt. Verba enim ſunt ab interius per cogitationes animæ, & deſiderium per motum ſpirituum, & calorem, & vocalẽ arteriam: & eorum generatio habet vias apertas, per quas eſt magnus exitus ſpirituum, & caloris, & euaporationis, & virtutis, & ſpecierum quæ poſſunt fieri ab anima & corde. Et ideo alterationes (cæteris paribus) in ſpiritualibus fiunt per verba ſecundum quòd eis debetur ex poteſtate naturæ. Videmus enim quòd per huiuſmodi arterias à corde in interioribus anhelitus & oſcitatio, & multæ reſolutiones ſpirituum, & caloris fiunt: quæ aliquando nocent, cum ab infirmo & malę complexionis corpore proueniunt: & proſunt & confortant, cùm à corpore mundo, ſano, & bonæ complexionis producũtur. Et ideo ſimiliter aliquæ operationes naturales poſſunt fieri in verborum generatione & prolatione, cum intentione & deſiderio operandi. Vnde non immerito dicitur, quòd vox viua magnam habet virtutem: non quia illam habeat virtutem quã magici fingunt, necnon

ſimiliter ad faciendum & alterandũ (vt exiſtimant) ſed ſecundum quòd natura ordinauit. Et ideo valde caute in his intendendum eſt. nam de facili homo poteſt errare, & multi errant ad vtramque partem: quoniam aliqui omnem operationem negant, & alij ſuperfluunt, & ad magicam declinant. Multi igitur libri mundi ſunt, per carmina, & characteres, & orationes, & coniurationes, & ſacrificia, & huiuſmodi, qui purè magici ſunt. Vt liber de officijs ſpirituum, liber de morte animæ, liber de arte notoria, & huiuſmodi infiniti, qui nec artis nec naturæ continent poteſtatem, ſed figmẽta magicorum. Conſiderandum tamen, quia multi libri reputantur inter magicos, qui non ſunt tales, qui continent ſapientiæ dignitatem. Qui igitur ſunt ſuſpecti, & qui non, experientia cuiuſlibet docebit. Nam ſi quis in aliquo illorum opus naturæ vel artis inueniat, illum accipiat: ſi nõ, relinquat velut ſuſpectum, & indignum ſapienti. magici eſt pertractare ſic ſuperfluum nec neceſſarium, nam vt ſenſit Iſaac in libro de febribus, anima rationalis non impeditur in ſuis operationibus, niſi detineatur ignorantia. & Ariſt. vult in lib. ſecretorum, quòd in talibus ſanus & bonus poteſt omnia quę homini neceſſaria ſunt, cum influentia tamen diuinæ virtutis. & 3 Metheo. dicit, quòd non eſt virtus niſi per deum, & in fine Ethicorum dicit, quòd nulla eſt

virtus nec moralis nec naturalis de cælesti virtute sine influentia cælesti & diuina. vnde cum loquimur de potestate agentium particularium, non excludimus regimen agentis vniuersalis & primæ causæ. nã omnis causa prima plus influit in causato quàm secunda, vt prima propositio de causis proponit.

¶ Narrabo igitur nunc per opera artis & naturæ mirãda, vt postea causas & modos rerum assignem, in quibus nihil magicum est, vt dicatur quòd omnis potestas magica sit inferior his operibus & indigna. Et primo per figurationem ipsius artis, nam instrumenta nauigandi possunt fieri sine hominibus nauigantibus, vt naues maximæ & marinę ferãtur vnico homine regente, maiori velocitate q̃ si essent plenæ hominibus nauigantibus. vnde currus possent fieri, vt sine animali moueantur cum impetu inæstimabili, vt existimentur currus falcati fuisse, quibus antiquitus pugnabatur. possunt fieri instrumenta volandi, vt homo sedens in medio instrumẽti reuoluẽs aliquod ingenium, per quod alæ artificialiter compositæ aërem verberent, ad modum auis volantis. Item instrumentum paruum in quantitate, ad eleuandum vel deprimendum pondera multa, quo nihil vtilius est in casu. Nam per instrumentum altitudinis trium digitorum, & latitudinis eorum, & minoris quantitatis posset se ipsum & socios ab omni

periculo carceris eripere,& eleuare,& descẽdere. Poteſt etiam de facili fieri inſtrumentum, quo vnus homo trahet ad ſe mille homines per violẽtiam, nulla eorum voluntate, & de rebus alijs attrahendis. poſſunt etiam fieri inſtrumenta ambulandi in mari & flumine ad fundum, ſine periculo corporali. nam Alexander magnus his vſus eſt, vt ſecreta maris videret, ſecũdum quòd Ethicus narrat Aſtronomus. antiquitus & noſtris temporibus facta ſunt, & certum eſt quòd ſit inſtrumentum volandi, quod non vidi, nec hominem qui vidiſſet cognoui, ſed ſapientem qui hoc artificium excogitauit explicite cognoſco, & infinita talia poſſunt fieri: vt pontes vltra flumina ſine columna & aliquo obſtaculo, & machinæ & ingenia inaudita. Sed magis phyſicę figurationes inueniuntur, nam ſic poſſunt figurari perſpicua & ſpecula, vt vnum appareat multa, vt vnus homo exercitus & plures, & quot volumus ſoles & lunæ appareant. Nam ſic aliquãdo figurantur vapores, vt duo ſoles, & tres, & duæ lunæ appareant ſimul in aëre, vt Plinius in 2. natural. hiſto. Quia qua ratione plures & infinitę poteſt vna res apparere: quia poſteaq̃ excedit ſuã virtutẽ, nullus eſt numerus determinatus. (Sic enim arguit Ariſtot. cap. de vacuo) & ſic omni ciuitati & exercitui poſſunt fieri terrores infiniti, vt vel propter multitudinem apparitionum ſtellarum,

vel hominum ſuper ipſos congregatorũ diſpereant, præcipue ſi ſequatur inſtrumentum cum quo primo habeãtur. poſſunt enim ſic figurari perſpicua, vt longiſſime poſita appareant propinquiſſima, & econtrario. Ita quòd incredibili diſtantia legeremus literas minutiſſimas, & videremus res quantumcunque paruas, & ſtellas faceremus apparere quo vellemus. Sic enim exiſtimant quòd Iulius Cæſar per littus maris in Gallijs deprehendiſſet per ingentia ſpecula, diſpoſitionem & ſitum caſtrorũ & ciuitatũ Britanniæ minoris. Poſſunt & ſic figurari corpora, vt maxima appareant minima, & econtrario & alta appareant ima & infima, & ecõtrario: & occulta, appareant manifeſta. Nam Socrates ſic draconem corrũpentem ciuitatem, & regionem ſuo anhelitu & influentia peſtilenti, deprehendit intra mõtium latibula reſidere: ſic omnia quæ eſſent in ciuitatibus & exercitibus contrarijs poſſunt ab inimicis deprehendi. Poſſent etiam ſic figurari corpora, vt ſpecies & influentiæ venenoſæ & infectiuę ducerentur quo vellet homo, nam ſic Ariſtot. fertur docuiſſe Alexandrum. Quo documẽto venenum baſiliſci erecti ſuper murum ciuitatis contra exercitum deduxit in ipſam ciuitatem. Poſſunt etiam ſic figurari perſpicua, vt omnis homo ingrediens domum videret veraciter aurum & argentum & lapides precioſos, &

quicquid homo vellet: & quicunq; festinaret ad locũ visitare nihil inueniret. Sed de sublimioribus potestatibus figurandi est, quòd ducantur & congregentur radij per varias fractiones & reflexiones, in omni distantia qua volumus, quãtenus comburatur quicquid sit obiectum. nam hoc testantur perspicua comburentia ante & retro, sicut autores certi docẽt in his libris. Et maius omnium figurationum & rerum figuratarũ est, vt cælestia describerentur secundum suas lõgitudines & latitudines in figura corporali, qua mouẽtur corporaliter motu diurno, & hæc valerent regnum vnum homini sapienti. Hæc igitur sufficiant pro exemplis figurationum, quamuis multa alia miranda proponi possent in medium. ¶ His verò sunt quædam annexa sine figurationibus, nam in omni distantia qua volumus, possumus artificialiter componere ignem comburentem ex sale petræ & alijs. Item ex oleo petreolo rubeo & alijs. Item ex ambra & naphtha & petreolo albo, & similibus: secundum quod Plinius dicit lib. 2. in ciuitate quadam se defendisse contra exercitum Romanum, nam per multa proiecta combussit militem armatum. his vicinus est ignis græcus, & multa comburentia. Præterea possunt fieri lumina perpetua, & balnea ardentia sine fine. Nam multa cognouimus quæ nõ comburuntur, sed purificantur. præter verò hęc, sunt alia

ſtupenda naturæ. Nam ſoni velut tonitrui, poſſunt fieri in aëre, imò maiori horrore, quàm illa quæ fiũt per naturam. nam modica materia adaptata ad quã-titatem vnius pollicis, ſonum facit horribilem, & cõruſcationem oſtendit vehemẽtem: & hoc fit mul tis modis, quibus omnis ciuitas & exercitus deſtrua tur ad modum artificis Gedeonis, qui laguncnlis fra ctis & lampadibus, igne ſaliente cum fragore ineffa-bili, Madianitarum deſtruxit exercitum cum trecẽ-tis hominibus. Mira ſũt hęc, ſi quis ſciret vti ad ple-num in debita quantitate & materia. De alio verò genere multa mirãda propono, quæ licet multam vtilitatem non habeant, tamen ſpectaculum ineffa-bile ſapientiæ, & poſſunt applicari ad probationem omnium occultorum, quibus vulgus inexpertum contradicit, & ſunt ſimilia attractioni ferri per ada-mantem. nam quis crederet huiuſmodi attractionẽ niſi videret? & multa miracula naturæ ſunt in hac ferri attractione, quę non ſciuntur à vulgo, ſicut ex-perientia docet ſollicitum. Etiam plura ſunt hæc & maiora. Nam ſimiliter eſt per lapidem auri & argen-ti, attractio omnium metallorum. Item lapis currit ad acetum, & plãtæ adinuicem, & partes animalium diuiſæ localiter motu naturali cõcurrunt: & poſtea-quam huiuſmodi perſpexi, nihil mihi difficile eſt ad credendum, quando bene conſidero ſic nec in di-

uinis nec in humanis. Sed maiora his ſunt, nam tota poteſtas mathematicæ nō ponit niſi inſtrumentum ſuperficiei, iuxta artificium Ptolemæi in 8. Almageſti, in quo omnia quæ ſunt in cælo ſuis longitudinibus & latitudinibus eſſent deſcripta veraciter. Quòd autem moueretur naturaliter motu diurno, non eſt in mathematici poteſtate. Experimentator tamen fidelis & magnificus anhelat, vt ex tali materia fieret & tali artificio. Quòd naturaliter cæli motu diurno mouentur, quod videtur ſibi poſſibile, quoniam multa motu cęleſtium deferuntur, vt cometæ, & mare in fluxu, & alia in toto vel in partibus ſuis. nam tunc omnia inſtrumenta aſtrologiæ ceſſarent, tam ſapientialia quàm vulgata, nec theſaurus vnius regis poſſet vix comparari. Et licet non quantum ad miraculum, tamē quantum ad vtilitatē pub. & priuatam, maiora poſſint fieri: ſcilicet vt auri copia & argenti deducatur in medium quantum placet homini, & non tamen ſecundum naturæ poſſibilitatē, ſed ſecundum artis complementum, cum ſint decem & ſeptem modi auri, octo ſcilicet à mixtione argenti cum auro, vt primus modus ſit ex partibus auri cum aliquibus partibus argenti, vſque ad vigeſimumſecundū gradum auri pertingatur, cum vno argenti ſemper vnum gradum auri augmētando, & totidem ſunt ex admixtione æris cum auro. Ita vt

vltimus modus ſit ex viginti quatuor gradibus auri puri ſine admixtione alterius metalli : & non poteſt natura vlterius procedere, ſicut experientia docet. Sed ars poteſt augmentare aurum in gradibus puritatis vſque in multum, ſimiliter aurum comple re ſine fraude. Sed præcedentibus maius eſt, quòd anima rationalis cogi non poteſt, tamen efficaciter diſponi, & induci, & excitari poteſt, vt gratis velit ſuos mores mutare, & affectiones, & voluntates ſecundum arbitrium alterius, non ſolũ ſingularis perſona, ſed totus exercitus ciuitatis, & totus populus regionis. & huiuſmodi experientiam Ariſtot. docet in lib. ſecretorum, tam de regione quàm de exercitu & perſona ſingulari. Et in his ferè eſt finis naturæ & artis. Sed vltimus gradus in quem poteſt artis complementũ cum omni naturæ poteſtate, eſt prolonga tio vitę vſque in magnum tempus. quòd autem hoc ſit poſſibile, multa experimenta docuerunt. Nam Plini. recitat militem ſtrennuum corpore & animo, vltra ætatem hominis cõſuetam duraſſe in ſua probitate, cui cum Octauianus Auguſtus diceret, quid feciſſet vt diu ſic viueret, reſpondit in ænigmate quòd oleum poſuit exterius, & mulſum interius. Sed poſtea multa contigerunt. Nam ruſticus fodiẽs in campis cum aratro vas aureum cum nobili liquore adinuenit, exiſtimans rorem cœli lauit faciem, &

bibit, & ſpiritu, & corpore, & bonitate ſapientiæ renouatus eſt, de bubulco factus eſt baiulus regis Siciliæ, quod accidit tempore regis Oſti. & probatum eſt teſtimonio literarum papalium, quòd Almanicus captiuatus inter Saracenos recepit medicinam, qua vſq; ad quingentos annos vitam ſuam prolongauit. Nam rex qui ipſum habuerat captiuum, recepit regis magi nuncios cum hac medicina. Sed quia eam ſuſpectam habuerat, voluit probare in captiuo quod fuerat ei delatum. Ac domina de Tormery in Britannia maiori quærens ceruam albam, vnguentum comperit quo cuſtos nemoris ſe perunxerat in toto corpore, præterquam in plantis: vixit trecentis annis ſine corruptione, exceptis pedum doloribus & paſſionibus. Et plures experti ſumus noſtris temporibus, quòd homines rurales ſine conſilio medicorum vixerunt centum ſexaginta annis, vel circiter. hæc etiam confirmantur per opera animalium, vt cerui, & aquilæ, & ſerpētis, & multorum quæ per virtutem herbarum & lapidum ſuam renouant iuuentutem. & ideo ſapientes dederunt ſe ad huiuſmodi ſecretum, excitati exemplis brutorum, exiſtimātes quòd poſſibile eſt homini quod brutis animātibus eſt conceſſum. Propter quod Artephius in ſua ſapientia ſecretorum, vires animalium & lapidum & cæterorum ſcrutans ob ſecreta naturæ ſcienda, &

maxime propter vitæ longitudinem gloriatur ſe vi xiſſe mille & 25 annis, & poſſibilitas prolongationis vitæ confirmatur per hoc, quòd anima eſt naturaliter immortalis, & potens non mori: ac etiam poſt peccatum potuit viuere circiter mille annos, & deinceps paulatim abbreuiata eſt vitæ longitudo. ergo oportet quòd huiuſmodi abbreuiatio ſit accidentalis, quare poterit in toto vel in parte prolongari. Sed ſi velimus cauſam accidentalem huiuſmodi corruptionis inueſtigare, inueniemus quòd non eſt à cælo neq; ab alio, q̃ defectu regiminis ſanitatis. nã in hoc noſtro tempore patres corrupti ſunt, & ex hoc generant filios corruptæ cõplexionis & cõpoſitionis, & filij eorũ eadẽ de cauſa ſe corrũpunt, & deſcendit corruptio à patribus in filios donec inualeſcat continuè abbreuiatio vitę, ſicut eſt dies iſta: nõ tamen propter hoc ſequitur, quòd abbreuiabitur ſemper. quia tempus in humanis poſitum eſt, vt in pluribus viuãt homines 70 annis, & amplius eſt eorũ labor & dolor. Remedium verò eſſet contra corruptionem propriã cuiuſlibet, ſi quilibet exerceret regimen cõpletũ ſanitatis à iuuentute, quod conſiſtit in his quæ ſunt cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, euacuatio, conſtrictio, aër, paſſio animi. nam ſi quis hoc regimen obſeruaret à natiuitate, viueret quantum natura aſſumpta à parentibus permitteret, & duce=

retur ad vltimum terminum iſtius naturæ lapſæ ab originali iuſtitia: quem tamen præterire non poſſet, quia hoc regimen non habet remedium contra corruptionem antiquam parentum. Sed impoſſibile eſt quòd homo ſic regatur in omnibus mediocritate iſtorum, ſicut exigit regimen ſanitatis. & ideo oportet, quòd abbreuiatio vitæ contingat ex hac cauſa, non ſolum ex corruptione parentum. Ars verò medicinæ determinat hoc regimen ſufficienter. Sed nec diues, nec pauper, nec ſapiens, nec inſipiens, nec ipſi medici quantumcunque perfecti, poſſunt hoc regimen in ſe, nec in alijs perficere vtraque cuilibet. Sed natura non deficit in neceſſarijs, nec ars completa, imò valet irrumpere contra accidentales paſſiones, vt in parte vel in toto deleantur. Et in principio quando inceperat ætas hominum declinare, facilè fuiſſet remedium, ſed à ſex millibus annis & plus, difficile eſt remedium apponere. Sapientes tamen moti conſiderationibus prædictis, niſi ſunt vias excogitare, non ſolum contra defectum proprium regiminis cuiuſlibet, ſed contra corruptionem parentũ, non quòd reducatur homo ad vitam Adę vel Artephij propter corruptionem iam inualeſcentem, ſed vt centenarium annorum, vel plures in vita prolongentur, vltra cõmunem ætatẽ hominũ nũc viuentiũ quatenus paſſiones ſenectutis retardarentur, & cum

non possunt prohiberi mitigarentur. vt vltra æstimationem humanam vita prolongetur vtiliter, semper tamen citra vltimum terminum. nam vnus terminus naturæ est, qui in primis hominibus positus est post peccatum: & alius est terminus cuiuslibet ex propria parentum corruptione. Vltra istos ambos non contingit transire, sed bene terminum propriæ corruptionis, nec tamen vsque ad terminum primũ. Credo quòd quantumcunque sapiens his temporibus possit attingere, licet possibilis sit & aptitudo naturæ humanæ, secundum quòd fuit in primis hominibus. nec mirum, cum aptitudo ista se extẽdit ad immortalitatem, sicut ante peccatũ fuit & erit post resurrectionem. Sed si tu dicas quòd nec Aristot. nec Plato, nec Hippocrates, nec Galenus, ad huiusmodi vitæ prolõgationẽ peruenerũt. Respõdeo tibi, ꝙ nec ad multas virtutes mediocres, quæ postea scitæ sunt per alios studiosos: & ideo hæc maxima potuerunt ignorare, quãq̃ ad hoc laborauerũt. Sed nimis in alijs se occupauerũt, & citius perducti sunt ad senectutẽ, consumẽtes vitam in peioribus & vulgatis, quanuis secreta multa perceperint. Scimus enim ꝙ Arist. dicit in prędicamẽtis, ꝙ quadratura circuli scibilis est, nondũ tamẽ scita. Et sic fatetur se & omnes vsq; ad tempus suum ignorasse. Sed nos scimus his diebus ꝙ scitur veritas, & ideo longe magis poterat Aristot.

vlteriora naturæ ſecreta ignorare. Multa etiã modo ignorant ſapientes, quæ vulgus ſtudentium ſciet in temporibus futuris. vnde hæc obiectio vana eſt per omnem modum. ¶ Enumeratis quibuſdã circa naturæ & artis poteſtatem, vt ex paucis multa colligamus, ex partibus tota, ex particularibus vniuerſalia, quatenus videamus ꝙ non eſt neceſſe nobis aſpirare ad magicã, cùm natura & ars ſufficiant. Volo modo ſingularia per ordinem proſequi, & cauſas, & modũ dare in particulari. Sed conſydero, ꝙ in pellibus caprarum & ouium non traduntur ſecreta naturæ, vt à quolibet intelligantur, ſicut vult Socrates & Ariſtot. Ipſemet enim dicit in lib. ſecretorũ, ꝙ eſſet fractor ſigilli cæleſtis, qui communicaret ſecreta naturæ & artis, adiungens ꝙ multa mala ſequuntur eum qui reuelat ſecreta. Cæterùm in lib. noctium atticarum de collatione ſapiẽtum, quòd ſtultum eſt aſino præbere lactucas, cum ei ſufficiant cardui: atq; in lib. lapidum ſcribitur, ꝙ rerum minuit maieſtatem qui diuulgat myſtica. nec manẽt ſecreta quorum turba ſit conſcia, ex diuiſione enim probabili vulgi dicẽdi oppoſitum contra ſapientes. nam quod videtur omnibus, eſt verum, & quod ſapientibus ſimiliter, & maxime notis. Ergo quod pluribus, hoc eſt vulgo inquãtum huiuſmodi videtur, oportet ꝙ ſit falſum. de vulgo loquor quod contra ſapientes diſtinguitur

in hac dictione. Nam in cõmunibus conceptionibus animi concordat cũ ſapientibus, ſed in proprijs principijs & concluſionibus artium & ſcientiarũ diſcordant laborantes circa apparentias in ſophiſmatibus, ſubtilitatibus, & de quibus ſapientes non curant. In proprijs igitur vel ſecretis vulgus errat, & ſic diuiditur contra ſapientes, ſed in communibus ſub lege omnium continetur, & cum ſapientibus concordat. Communia verò pauci ſunt valoris, nec proprie ſequẽda, ſed propter particularia & propria. Sed cauſa huius latentiæ fuit apud omnes ſapientes, quia vulgus deridet & negligit ſecreta ſapientiæ, & neſcit vti rebus digniſſimis: atq; ſi aliquod magnificum in eius notitiam cadat, à fortuna illud & per accidens ſuſcipit, & eo abutitur in damnum multipliciter perſonarum atq; communitatis. & ideo inſanus eſt qui aliquod ſecretum ſcribit, niſi à vulgo celetur, & vix à ſtudioſis & ſapiẽtibus poſſit intelligi. Sic currit vita ſapiẽtum à principio, & multis modis occultauerunt à vulgo ſapientiæ ſecreta. Nam alij per charactêres & carmina occultauerunt, multi verò alij per ænigmata & figuratiua, vt Ariſtot. dicit in lib. ſecretorum, O Alexander, volo tibi oſtẽdere ſecretorum maximum, & diuina prouidẽtia iuuet te ad celandũ archanum, & perficiendum propoſitum artis illius lapidis, qui non eſt lapis, & eſt in quolibet homine,

& in quolibet loco, & in quolibet tẽpore, & vocatur omnium philosophorũ terminus, & inueniuntur in multis libris & scientijs diuersis, innumerabilia talibus sermonibus obscurata, vt nemo intelligat sine doctore aliquo. Tertio occultauerunt per modos scribendi, scilicet per consonantes tantum, vt nemo sciat legere nisi sciat significata dictionũ, sicut Hebræi, & Chaldæi, & Syrij, & Arabes scribunt: sed & Græci. & ideo est magna occultatio apud eos, & maxime apud Hebræos. quoniam Aristot. dicit in lib. memorato, ꝙ deus dederit eis omnem sapientiam anteq̃ fuerint philosophi, & ab Hebræis omnes nationes habuerunt philosophię principium. & Albumasar in lib. introductorij maioris, & alij philosophi, & Iosephus 8. antiquitatum lib. hoc manifeste docet. Quarto accidit occultatio per mixtionem literarum diuersis generibus. Nam sic Ethicus astronomus suam sapientiam occultat, ex eo quòd literis Hebręis Gręcis & Latinis eam conscripsit in eadem serie scripturæ. Quinto occultauerunt per alias literas quæ fiunt apud gentẽ suam, videlicet apud alias nationes, sed fingunt eas pro sua volũtate, & hoc est maximum impedimentum. quo vsus est Artephius in lib. suo de secretis naturæ. Sexto fiunt non figuræ literarũ, sed aliæ figuræ geomãticæ, quæ secundum diuersitatem punctorum, & notarũ, habent literarũ

potestatem, & istis similiter vsus est Artephius in sua scientia. Septimo est maius artificium occultādi, quod datur in arte notoria, quæ est ars notādi & scribēdi ea breuitāte qua volumus, velocitate qua desyderamus: & sic multa secreta scripta sunt in libris latinorum. Necessarium verò existimaui has occultationes tangere, quia forsan propter secretorum magnitudinem aliquibus his vtar modis, vt sic saltē te iuuem vt possum. ¶ Dico igitur tibi, ꝙ volo ordinate quæ superius narraui exponere, & ideo volo ouum philosophorum dissoluere, & partes philosophici hominis inuestigare, nam hoc est initium ad alia. Sal igitur diligenter aquis attere, & alijs aquis attritis purifica, & varijs cōtritionibus cum salibus cōfrica, & pluribus assationibus cōcrema, vt fiat terra pura liberata ab alijs elementis, quā tibi pro meæ longitudinis statura dignā duco. intellige si potes, quia proculdubio erit cōpositū ex elemētis, & ideo erit pars lapidis qui nō est lapis, & est in quolibet homine, & in quolibet tēpore anni reperies hoc in suo loco: deinde oleū ad modū ceroti casei & viscosi accipias primo ictu insecabile, cui tota virtus ignea diuidatur, & separetur per dissolutionē (dissoluitur autē in aqua acuta temperatæ acuitatis, cum igne leui) & decoquatur quatenus separetur sua pinguedo, sicut pinguedo in carnibus, per distillationē, vt non egre-

¶ Hæc sunt ænigmata.

diatur aliquid de vnctuositate,& virtus nigra in qua vrina distillatur,& post in aceto decoquatur,donec in prunam (quod est de causa adustionis) desiccetur & virtus nigra habeatur. Sed si non curetur de illa, iterum fiat: euigila,& attente. Nam sermo difficilis est,oleum verò dissoluit,& in aquis acutis,& in oleo cōmuni quod expressius operatur,vel in oleo acuto amygdalorum super ignem,ita vt oleum separetur & remaneat spiritus occultatus, & in partibus animaliū & sulphure & arsenico. Nā lapides (in quibus oleum humiditatis superfluę) terminum habent humorum suorum,partim quòd nō est vehemēs vnio, cùm posset vnum ab alio dissolui, propter naturam aquæ quæ subest liquefactioni in spiritu,quę media inter partes suas & oleum.facta igitur dissolutione remanebit nobis humiditas in spiritu pura, vt vehementer permixta partibus siccis quę mouētur in ea, tamen resolueret eam ignis, qui vocatur à philosophis sulphur fusile. Aliquando oleum,aliquādo humor aëreus,aliquando substātia coniunctiua quam ignis non separat,aliquādo camphora,& dilue, istud est ouum philosophorum, vel magis terminus & finis oui. Et hoc quod peruenit ad nos de oleis istis, sed inter sinapica reputatur, qui ab aqua vel oleo in quo purgetur separetur. præterea corrumpitur oleum vt scis, terendo ipsum cū rebus desiccātibus,

ſicut ſunt ſal, atramentum, & aſſando. Tamẽ paſſio fit à contrario, & poſtea ſublimatur, donec ab oleo-gineitate ſua priuetur, & aqua eſt ſicut ſulphur vel Arſenicum, in mineralibus pręparatis poteſt ſicut & ipſa. Melius eſt tamen vt decoquatur in aquis tẽpe-ratis in acuitate, donec purgetur vel dealbetur. Alia verò ſalutaris cõcoctio fit in igne ſicco vel humido, & iteretur diſtillatio, vt dextrũ boni te recipiat ſuf-ficienter donec rectificetur, rectificationis cuius no-uiſſima ſigna ſunt candor & cryſtallina ſerenitas: & cum cętera nigreſcant ab igne, hoc albeſcit, munda-tur, ſerenitate niteſcit, & ſplendore mirabili. Ex aqua & terra ſua argentũ viuum generatur, quia eſt ſicut argentum viuum in mineralibus. & quando incanduit hoc modo materia, cõgelatur. lapis vero aëris (qui non eſt lapis) ponitur in pyramide loco ca lido, vel (ſi vis) in vẽtre equi, vel bouis, in febrẽ acu-tã mutatur. Nã de hac in 10, & de hoc in 21 quãdo procedit, vt feces oleorum diſſoluantur in aqua ſua anteq̃ ſeparetur, & multotiens iteretur diſſolutio & diſtillatio, donec rectificetur. Et hic eſt finis huius intentionis. Scias verò ꝙ cum conſummaueris opor tet te incipere. ¶ Aliud vero ſecretum volo tibi oc-cultare. Nam argentũ viuum prępara mortificando ipſum cũ vapore ſtagni pro margaritis, & cũ vapore plumbi pro ibero lapide, deinde teratur cum rebus

desiccãtibus & atramentis & huiusmodi (vt dictum est) & assetur, deinde sublimetur, si ad vnionem 12, si ad rubedinem 21, donec in eo humiditas corrumpatur. Nec est possibile quòd humiditas eius separetur propter vaporẽ, sicut oleum ante dictum, quia vehementer est permixta partibus suis siccis, nec terminum constituit sicut dictum est in metallis prius dictis in hoc capitulo. decipieris, nisi significata verborum intelligas. ¶ Tempus est tertium inuolui capitulum, vt clauem operis, quod quæris, intelligas. Corpus verò calcinatũ quãdoque apponitur, & hoc vt humor in eo corrumpatur per salem & sal armoniacum & acetũ, & quandoq; cibatur argento viuo, & sublimatur ab eis, donec remaneat puluis. Sunt igitur claues artis, congelatio, resolutio, inceratio, proiectio, & hic est finis atq; principium. Sed purificatio, destillatio, separatio, sublimatio, calcinatio, inquisitio cooperantur, & tunc potes quiescere.

¶ Transactis annis Arabũ sexcẽtis & duobus, rogasti me de quibusdam secretis. Accipe igitur lapidẽ & calcina assatione leui, & contritione forti, sine tamẽ rebus acutis. Sed in fine parũ cõmisce de aqua dulci, & medicinã laxatiuã cõpone de septẽ rebus, si vis, vel de sex, vel de quinq; vel quot vis, sed quiescit animus meus in duabus, quarũ melior erit ĩ sex q̃ altera proportiõe, vel circiter, sicut potest te docere experiẽtia.

resolue tamen aurum ad ignem & melius cola. Sed si mihi credis, accipias rem vnam, hoc est secretum secretorũ naturæ, potens mirabilia. mixto igitur ex duobus, aut ex pluribus, aut phœnice (quod est animal singulare) ad ignẽ, & incorpora per fortẽ motũ: cui si liquor calidus quater vel quĩquies adhibeatur, habebis vltimũ propositũ. Sed postea cælestis natura debilitatur, si aquã infundas calidã ter vel quater. diuide igitur debile à forti in vasis diuersis, si mihi credis, euacuato igitur quod bonũ est. Item adhibe puluerem, & aquã quæ remãsit diligenter exprime, nã pro certo partes pulueris deducet nõ corporatas, & ideo illã aquam per se collige, quia puluis exiccatus ab ea habet vim medicinæ in corpore laxatiuo. fac igitur vt prius, donec forte à debili distinguas, & ter, vel quater, vel quinquies, vel plus puluerẽ adhibeas, & semper vno modo facias. Et si cũ aqua calida operari non poteris, facies violentiã. Si autẽ propter acuitatem & mollitiẽ medicinæ frangatur, pul uere apposito, appone caute plus de auro & molli. Si verò propter abundantiam pulueris, appone plus de medicina. Si vero ꝓpter fortitudinẽ aquæ, rigua cum pistello & cõgrega materiam vt potes, & aquã separa paulatim, & redibit ad statũ, quã aquam exiccabis. nã continet puluerem & aquã medicinæ, quæ sunt incorporanda sicut puluis. Non dormias hic,

quia valde vtile & magnũ continetur ſecretũ. Si verò partes virgulti cõbuſti, aut ſalicis, & multarũ rerum ſcires apte ordinare, vnionem naturaliter ſeruabunt, & hoc non tradas obliuioni, quia valet ad multa. Trinitatẽ verò cũ vnione liquefacta miſcebis, & exurget (vt credo) ſimile lapidi ibero, & ꝓculdubio mortificato, quod mortificatũ eſt per vaporẽ plũbi, inuenies plumbũ ſi exprimas à mortuo, & mortuũ ſepelies in clibano per ſurculã. Tene hoc ſecretũ. Nã nullius eſt vtilitatis, & idem facias cũ vapore Margaritæ vel lapide Tagi, & ſepelies mortuum tamen vt dixi. ¶ Annis Arabũ videlicet tranſactis petitioni tuæ reſpondeo in hunc modũ, oportet te habere medicinã quæ diſſoluit in liquefacto, & inungatur in eo, & penetret in termino 2. eius, & permiſceatur cum eo, & non ſit ſeruus fugitiuus, & tranſmutet ipſum, radice verò ſpiritus permiſceatur, & per calcem metalli figatur. Aeſtimatur autem ꝙ fixio præparat, quando corpus & ſpiritus in loco ſuo ponuntur & ſublimãtur: & totiens fiat, vt corpus fiat ſpiritus, & ſpiritus fiat corpus. Accipiatis igitur de oſſibus Adę, & de calce ſub eodẽ pondere, & ſunt ſex ad lapidem petralem, & quinq; ad lapidẽ vnionis, & terantur ſimul cum aqua vitę, cuius propriũ eſt diſſoluere omnes res alias, & quòd in ea diſſoluatur & aſſetur, & ſignũ incerationis eſt, quòd medicina liqueſcat ſuper

ferrum valde ignitū.deinde ponatur in eadē aqua in loco humido,aut ſuſpendatur in vapore aquarū valde calidarum,& liquidarū.deinde cōgeletur ad ſolē. demū accipies ſalē petræ, & ar.viu.cōuertes in plumbum,& iterum plumbū eo lauabis & mundificabis, vt ſit proxima argento, & tunc operare vt prius. Itē potabis totum ſic. Sed tamen ſalis petræ L V R V Vo Po Vir Can Vtriet ſulphuris , & ſic facies tonitruum & coruſcationē,ſic facies artificiū.videas tamen vtrū loquor in ænigmate,vel ſecundū veritatē. & aliqui exiſtimauerūt aliter. nam dictum eſt mihi, quòd debeas omnia reſoluere ad materiam , de qua habebis ab Ariſtotele in locis vulgatis & famoſis, propter quod taceo. Et cū illa habueris tūc habebis plura ſimplicia & æqualia,& hoc facies per res contrarias & varias operationes, quas prius vocaui claues artis:& Ariſtot.dicit quòd æqualitas potentiarū concludit actionem & paſſionem corporum. Et hæc dicit Auerrois,reprobando Galenum, & hæc exiſtimatur ſimplicior medicina quæ reperiri poteſt , & purior,& quæ valet cōtra febres & paſſiones animi & corporum,vilior quacunq;. Hæc qui reſcribit habebit clauem quæ aperit , & nemo claudit:& cum clauſerit,nemo aperit.

¶Finis libelli fratris Rogerij Bachonis, ordinis minorū Anglici,de mirabili poteſtate artis & naturæ.